*Academiæ Oxonienſis*

# FVNEBRIA SACRA.

ÆTERNÆ MEMORIÆ
SERENISSIMÆ REGINÆ

## ANNÆ

*POTENTISSIMI MONARCHÆ*
IACOBI Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis &c. Deſideratiſſimæ Sponſæ,
DICATA.

*OXONIÆ,*
Excudebant JOHANNES LICHFIELD, & JACOBVS SHORT, *Academiæ Typographi.*
ANNO DOM. 1619.

# AD SERENISSIMVM REGEM IACOBVM.

QVi Tibi (Rex) Reduci læti conſtruximus ARAM:
Cogimur (heu!) mœſti jam dare triſte SACRVM.
Pro Plauſu, Planctus; grato pro Thure, Cupreſſum;
Pro Cantu Fletus, ſollicitóſq; Elegos.
Sic Phœbum Muſæ vultuq; & corde ſequuntur:
Gaudente, arrident; Teq; dolente, dolent.
Gaudia ut ergò Tuis accreſcũt noſtra Triumphis:
Sic Lachrymæ Lachrymis ſint medicina Tuis.
Vix petimus vultus (Pie Rex) pro More Serenos;
Sat placuiſſe aliàs, nunc doluiſſe ſatis.

VT Sara, *et Patriæ victricis* Debora *Mater.*
*Sic defleta jacet* Clarior Anna *suis.*
*Dum tamẽ exultat* Sponsus, *dum* Carolvs *amplos*
*Annales implet, dum memorare licet*
Henrici *cineres, & spes crescentis* Elizæ:
*Nominis* Anna *tui* Fama *perennis erit.*
*Quid* Famam *refero? cœlis* Tua Gloria *splendet*
*Æterna, Æterno consociata* Deo:
*Non Regnum, Sceptrum, Gladius, Diadema, Thronúsve*
*Fælices faciunt: Mors facit esse* Deos.
*Ergò* Te *sequimur,* Regina *Beata; Lucrumq;*
*Et vitam, & Regnum, dicimus esse Mori.*
*Longa tamen tibi* Rex, *sint tempora;* Carole *Princeps,*
*Longa tibi. Æternùm Sceptra Britanna gere.*

Serenissimæ Maiestatis Tuæ

humillimus Servus,

Gvilielmvs Goodwin, *Academiæ Tuæ Oxoniensis Procancellarius.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

DE Curis olim si *Curia* dicta, *Iacobe*;
Aula nimis verè *Curia* dicta *tua* est.
Nam quis non timeat post *Annæ* fata sepulchrum?
Hæc poterant ipsos sollicitare Deos.

*Dania* prima dabat vitam Tibi, *Scotia* regnum;
Quid dabis infælix *Anglia*? Sola rogum?
Da geminum, & molles lachrymis decorato favillas,
Non omni tegitur *sanctior* orbe *cinis*.

Quam prius æquoreis *Neptunus* cinxerat undis,
Cum staret medio *Terra Britanna* salo;
Jam fluitat lachrymis, estq; Insula facta secundò
Fletibus, exequiis (Diva Beata) *tuis*.

GEORGIVS *Baro*

BERKLEY,

Ex Æde Christi.

# *Annæ Funebria Sacra.*

שירת פשיטה ואבלת.

מלכת מתת יחית מלך.

מספר ימיו יהיה ארך.

חסר ירח יאיר שמש.

האל יתן שלא ימש.

אדו יגת מאין חשך.

נרו עליו נא לא ידעך.

RIC. KILBIE *Coll. Lincol. Rector, & Hebrææ linguæ Prælector Regius.*

TEmpus abit? Sic est. Plus quã tria lustra fuerũt,
Ex quo terrestrem hunc liquit *Eliza* thronũ;
Tunc, ut debuimus, defunctam flevimus *illam*;
Induit atratas *Anglia tota* togas.
At citò mutata est vestis; color ater in album
Vertitur: & redeunt tempora lætitiæ;
Et meritò, magnus proavorum jure *Iacobus*
Quùm grata caperet *Sceptra Britanna* manu.
Viximus inde ferè duo per quinquennia læti,
Nulláq; tunc nobis causa timoris erat.
Ecce vices iterum versæ, miserúmq; vocamur
Ad luctum, *Henricum* cùm fera mors raperet.
Iste diu hæsisset luctus, *Fridericus Elizam*
Ni benè duxisset, gaudia sicq; nova
Fecisset nobis. Fuit hæc medicina dolori;
Juncta *Palatino* dulcis *Eliza* viro.

Inde

Inde anni sunt bis terni: triplicésq; sorores,
Pollice quæ presso fila severa trahunt,
*Reginam* abripiunt *nostram*, tellure relictâ
Scandat ut æthereos nobilis *Anna* polos.
Abreptam flemus: quid enim nisi flere licebit?
At fletûs nostri grande levamen erit,
Quod *Rex* sit salvus. Sint tempora longa *Iacobo*,
Longùm ter fœlix qui sua regna regat.

Martius *Elisabetham* aufert, & Martius *Annam*;
Quid malè Reginas *Mars* truculente rapis?

SEBASTIANVS BENEFIELD *S.T.D. & Professor publicus, Ædis Christi Commensalis.*

ANglia si mœrens pullo veletur amictu,
Dania si planctu resonet lachrymisq; madescat,
Mœsta Caledonii si prodant signa doloris;
Strenua si largos fundat Germania fletus:
Desine mirari: nimis undiq; iusta dolendi
Causa subest. Quid ni populus cum Principe ploret?
Hinc thalami sociam *Iacobus*, & inde parentem
*Carolus* ereptam deflet, matremq; requirit:
χειτιανὸς Dani flentem videre sororem:
Vosq; Palatini *Frederice* ac dulcis *Eliza*,
Vidit (& obstupuit) vestros Germania luctus.
Regibus in luctum sacris lachrymasq; solutis
Quis fletũ reprimat? quis non cum Principe ploret?
Vna quidem cecidit, sed non domus una dolorem
Senserat: innumeros casus violavit acerbus.

Vna

Vna quidem cecidit numero: sed pondere multæ:
*Anna* cadit, Regina potens, sata sanguine regum:
Regum nata, soror, coniux, genitrixq; beata:
Vndiq; nobilibus proavis, & prole coruſca:
Fructifera, & dives generoso palmite vitis;
Nostro nata bono, nostræ fœcunda saluti:
Quot fundit ramos, tot firmamenta Britanno
Producens regno: nostræ tot pignora pacis.
O amor! ô pietas! ô nobilitatis Imago!
O decus! ô regni lumen, columenq; Britanni!
Quas tibi pro tanto solvemus munere grates?
O mihi si votis animam revocare liceret,
Vlteriusq; tuæ producere stamina vitæ:
Sed quis fata vetant: nec te iuvat vsq; morari
Cœlicolam in terris; lachrymis en funera falsis
Spargimus, & grati summos libamus honores.
*Iacobum* nobis salvum Deus alme reserva:
Et longum vigeant illustri in Prole Parentes.

Io. Parkhvstvs *S.T.D.*
*è Coll. Bal.*

CRedideram moriente omnem expirâsse poësin
*Henrico*, & musam jam stupuisse meam.
Carmine sperabam sacrato manibus ejus
Extremum extremis indoluisse rogis.
Quid mihi tunc animæ misero fuit orba Patrono
Hospita nutaret cùm ruitura domus?
Et mœstas (*Regina*) jubes revocare querelas?
Atq; iterùm tristes ingeminare modos?
Non satis est Ramum excidisse? peribit oliva

Quæ

## *Annæ Funebria Sacra.*

Quæ ſolita eſt olco nos recreare ſuo?
Scilicet alternos dant nobis fata dolores,
Et matrem, natum cùm rapuere, negant.
Serus at in cœlum redeas, populoq; Britanno
Tu interſis lætus (dive *Iacobe*) diu.
Et quæ jam ſupereſt per ſæcula clara propâgo
Vivat, & æternùm ſceptra paterna regat.

GVIL. LANGTON, *S.T.D. & Coll. Magd. Præſes.*

SIve patrem, ſponſum, ſobolem repetiveris *Annæ*,
Tota coronata eſt, filia, nupta, parens.
Iam ſatura in terris titulorum aſcendit, & auro
Quæ nituit, clara luce corona nitet.
Si terram & cœlos ſpectes; fit mater, & hæres.
Nam regnum pariter deſerit atq; capit.

LEON. HVTTEN, *S.T.D. ex Æde Chriſti.*

*In obitum Annæ Reginæ auguſtiſſimæ, Regis noſtri* Iacobi *coniugis ſereniſſimæ.*

DAnia quam genuit, junctí coluere Britanni,
*Anna* potens, Regis Filia, Sponſa, Soror.
Mole ſub hac dormit; procul hinc procul ite profani,
Hoſpitio tanti nominis vrna ſacra eſt.
Non opus hîc hederâ, per ſe nitet inclita virtus,
Annales *Annæ* ſedula fama dabit.
Marmora dum maneant, Heroidas inter Elizas
*Anna* comes ſtabit, Conjuge, prole prior.

*Ad* Carolum *Filium in obitum Matris dilectissimæ mœstissimum.*

Ne te discruciet Princeps dulcissime rerum,
Quòd cœlum terris prætulit *Anna* Parens.
Altiùs ascendit, tantùm vt spectaret ubiq;
Cum Fratre *Henrico* (*Càrole*) gesta tua.

IO. PRIDEAVX, *S.T.Doct. Professor Regius.*

ANna, Soror, Mater, Conjux, & filia Regis
Uno est sarcophago clausa nec inde tumet.
Inde tamen nihil est nisi mens cujusq; quod im-
Cætera sunt vacuum; gloria quæq; nihil (plet,
Inde Colant Reges animos, & cætera mandent
Terræ, quæ profert, heluo quæq; vorat.
Regales cineres vos inde capessite regna
Et quum fata vocant rumpite sarcophagum.

SAMVEL RADECLIF, *S.T.D. & Col. Æn. Nas. Princ.*

*In obitum* Annæ *Reginæ.*

PHarmaca nil poterant ad vitam, carmina possunt,
Et Tibi dant Musæ quod Medicina negat;
Ergò quid insanis pullis *ridenda* Trophæis
Quid tibi *Mors* tribuis quod sine Morte facis?
Cernis ut *Anna* tuos felices reddidit ictus?
Regnat adhuc, & adhuc spiritus intus agit.
Vitam, Animamq; novam populi suspiria sufflant,
Et non-extinctum Fama cadaver alit;

Pro

Pro Regno Cœlum eſt, ſpiſſo pro corpore Lux eſt,
Et ſpecies facta eſt quæ fuit antè Fides;
Iam ſecura poteſt ſeros regnare per Annos,
Nam quos Vita negat prima, ſecunda dedit.

RIC. CORBET, *S.T.D.*
*ex Æde Chriſti.*

*Divam* Annam, *Reginam incomparabilem, inter cœlites relatam eſſe, & coronæ aſtrum occupare.*

NOx erat, & puro radiabant ſydera cœlo
Quâ piger *Arcturus*, quâq; corona micat.
Sed tum *Gnoſiacæ*, ſolito, mihi ſerta puellæ,
Puriùs in liquido viſa nitere polo.
Obſtupui, dubiuſq; animi, pia numina dixi
Cœlicolæ, inſuetum hoc quid Diadema notat?
Forſitan, his patrio nuper diva addita cœlo,
Quem tu Creſſa priùs, nunc habet *Anna* locum.
Non fallor; nam luce magis dilecta Britannis,
Cur non perpetuâ luceat (*Anna*) face?

IO. BVDDEN *Iuriſconſultus, Profeſſor Regius, Aulaq; Late-portenſis Principalis.*

*In obitum ſereniſſimæ Reginæ* Annæ.

QVæ procul *Arctoo* viſa eſt lux altera mundo,
Reddere perpetuos nata ſerena dies;
Ecce interpoſitâ telluris mole receſſit,
Aſpectu *Phœbi* iam viduata ſui.

Quis nunc *Elysium* cupidè miratur opacum,
Postquam cœlestes incolat umbra domos?

RICHARDVS ZOVCH *in LL.*
*Inceptor Nov. Coll. Socius.*

*In obitum* Annæ *dilectissimæ* Iacobi *Magnæ*
*Britanniæ Regis Reginæ.*

NOn ego Reginæ mortem sic defleo; flenda
Sit licet, ast illi non ea tristis erat.
(Nam licet in votum clades tristissima nostrũ
Non cadit, in fructum est attamen ista suum.
Nempe perimmensam est pro parva nacta coronã;
Hæcq; auri, periit, gloriæ at ista manet.
Et pro terrena cœlestem possidet aulam,
Quâ, peritura prius vita, perennis erit
Optimum at orbatum dilecta conjuge Regem,
At gratum amissa matre, gregemq; duce;
At patriam, at populum, cives procereſq; Britannos
Patrona penitus sic caruisse sua.
Hæc si flenda diu (& quis tandem talia fando
Flere satis didicit?) fortiter ista fleo.

RODOLPHVS BRADDILL, *Aulæ*
*Sanctæ Mariæ Principalis.*

*In* Annam *Reginam.*

TOtam non tamen abstulêre avaræ
Annam fata; sibiq; funeriq;
Multâ parte sui manet superstes.
Quæ per sæcula mutuò Britannos

Junctos

Junctos fœdere ſervet, ecce prolem
Prolem militibúſq;, navibúſq;,
Sedandis odiis potentiorem
Seris inclyta poſteris reliquit.

Votis, ſed fruſtra, numen laſſavimus, *Annæ*
Vt uſq; ſalvæ candidi affluerent dies.
Filia, ſponſa, ſoror, genetrix, avia, vndiq; fœlix
Titulos per omnes regium vidit decus.
*Henricus* tantum, *Henricus* quia deêrat, & ipſam
Per altum euntem filium juvat ſequi.

Mortem ſola gravem poterat jactura mariti,
Reddere; mors *Annæ* nec fuit inde gravis.
Qui modo viſus erat fulſiſſe Cometa; iugalis
Fax, Chriſto quâ mox nuberet *Anna*, fuit.

ROB. PINCK, *Nov. Coll. Cuſt.*

*Ad Defunctam.*

IVſtus juſſit amor tibi carmina ſcribere Princeps,
Multus at haud patitur carmina pauca dolor.
Pauca tamen ſcripſit, ſed quæ neſcivit, amorem
Spectes, non Muſæ metra dolenda meæ.
Proveniunt equidem raro mea carmina filo,
At nimis in fatum carmina rara tuum.
O utinam pro te mage candida charta fuiſſet,
Pro nobis tandem ſors tua nigra minùs.

EV. CHAMBERS, *S. T. Bac. & Coll. Ex. Soc.*

*In obitum sereniſſimæ* Annæ *Anglorum Reginæ Calendis Martiis, Anno* 1618.

*Plinius lib. 7. cap. 41.*

*Lampedo* Spartana ſuo celeberima ſæclo,
Inter fœmineum fœmina ſola gregem.
Inter fœlices & fœliciſſima quondam,
Regis enim coniux, filia, mater erat.
*Annæ* Britannorum ſydus, Iunonia proles,
Diis genita, & Regis filia, ſponſa, parens.
Vtraq; diva parens regum, divina propago,
Quæ maior tamen, hæc ſitne, vel illa, petis?
*Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,*
Spartanam ſuper hanc extulit *Anna* caput.
Anglorum genti quantumq; Laconia cedit,
Tantùm *Annæ* cedit Nympha Pelaſga Deæ.
Tantùm prole ſubit, tantumq; in coniuge cedit,
Fortunâ, & formâ, & ſtemmate victa jacet.
Ergò *Annæ* palmam det *Plinius*, omnibus *Annæ*
Præcellit formâ, & dotibus Ingenii.
*Anna* decus gentis, nuptarum gloria, matrum
Deliciæ, & ſexus gemmula ſola ſuæ.
At fuit; heù fuit hæc; neq; res, neq; gratia formæ
Servare hanc potuit, mors ubi ſæva venit.
Occidit, & quæ viva, parem non invenit, eccè
Mortua par cuivis, ſic iubet urna, iacet.
Occidit, atq; iterum terras *Aſtræa* reliquit,
*Aſtræa* hæc *Britonum* lucida ſtella micat:
Non in Zodiaco velut illa *Aſtræa* refulgens,
Non ubi *Caliſto* aut *Caſſiopæa* nitet,
Non ſortita locum ſequitur ſua plauſtra *Boötes*,

Tar-

Tardus in Occaſum, quà ſine fine rotans.
Non *Aquila* hanc poſuit cœlo, aut *Thaumantias Iris*,
*Mercurius* celer; at prævia ſtella comans:
Signavitq; viam, & ſcandens ſuper æthera, dixit
Hàc ſequere, en lucem præbeo, chara Comes.
Illa ſuper cœlos ſequitur, ſtellaſq; relinquens
Ad ſuperos victrix *Anna Perenna* venit.
*Anna Perenna* venit, quid ni ſic *Anna* vocetur?
*Anna* Dea, & nomen verius iſtud habet.
*Didonis* ſoror *Anna* eadem quæ præfuit annis,
*Numicio* præceps flumine merſa fuit.
Diva habita, & ſic dicta olim, quærentibus illam
Quòd dum ſuſtinuit conſcius amnis aquas,
*Ipſa loqui viſa eſt, placidi ſum Nympha Numici,* Ovid. Faſt. 3.
*Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.*
Idibus hinc *Annæ* feſtum geniale *Perennæ*
Martis erat, cui plebs non niſi pota piat.
At Dani ſoror *Anna* iſtæc, Martiſq; Calendis
Mortem obiit, fato ſed meliore tamen.
Dum Britonum Imperium durat, dum carmina, vatũ
Ore peſtrenne vigens, *Anna Perenna* viret.
Menſeq; in hoc Martis nomẽ dũ permanet Anglũm,
Annua ſacra tibi, qui dabit *Anglus* erit.

ROBERTVS BVRTONVS, *Sac. Theol. Bacc. ex Æde Chriſti.*

In

*In obitum Anguſtiſ. Principis, Divæ* Annæ, *Britanniæ magnæ nuper Reginæ, ſemper deflendæ, Carmen funebre.*

DAnia te peperit, ſtabili te Scotia iunxit,
Connubio, tædis, ſplendida facta, tuis.
Tota coronauit, te Diva, Britannia, lætis
Auſpiciis, numquid defuit *Annæ* tibi?
Scilicet hæc deerant tibi, cœlo morte renaſci,
Et propiore, Deo nubere, coniugio.
Non quod, cœleſti, non deſponſata marito,
Nec quod eras ſponſo, non ſociata, fide;
Sed nimium diſiuncta loco, ſponſoq; remota,
Chriſto, non poteras, hic, propiore frui.
Hæc quoq; defuerant, non defectura corona,
Vitaq; non morbum, non habitura modum.
Hæc tibi mortali deerant, terraſq; colenti,
At iam Cælicolæ, nil tibi Diva deeſt.

GVIL. MAXEY, *Sacræ Theol. Bacc. & Ædis Chriſti alumnus.*

CVm peteret manes ſimulacraq; functa ſepulchris
Eurydice, vates carmine retrò tulit.
Dic ubi nunc vates, ubi nunc Rodopëius Orpheus?
Vt nervis aptet carmina docta ſuis,
Concidit Eurydice, juris ſanctiſſima cultrix
* *Lâsè iuſta.* *Eurydice in terris ſi fuit, *Annæ* fuit.

Juſta fuit vobis (Angli) Regina ſuperſtes
Vos modò defunctæ ſolvite juſta Deæ,

Si

*Annæ Funebria Sacra.*

Si fas exilium quà non genuere parentes
Dicier, exilio, concidit *Anna* suo:
Quid mirum exilio? sic sic perijsse juvabat,
Cui mundo exilium, cælica vita fuit.

Cur properata tuæ rumpuntur stamina vitæ?
Non anni cani, sed fuit (*Anna*) fides.

Si genus, aut pietas, aut gratia, fata moverent,
Non caperet cineres vrnula parva tuos.
At quia plus triplici charitum valuere coronâ
Parca triplex, trino mors tua sacra Deo.

Dij benè fecerunt quod non sis condita Romæ,
Nec jacet Ausoniâ nobile corpus humo:
Relliquias coleret pro numine, turba, sacratas,
Nec pietas requiem manibus ipsa daret.

Ausa caput regale tuâ (Proserpina) nocte
Mergere, de regno jure timere potes.

Parciùs ista gemant lachrymosæ funera matres
Nec sponsæ crebris fletibus ora rigent.
Virgo fuit pridem cœlo, modò nupta recepta est,
Inter syderei lucida signa poli.

Ἡ ποτ' ἰοστεφάνων νικήσατο φύλα γυναίκων
Λάμπρον χρυσείης εἶδος, ἔχουσα θέας
Ἡ πινύτη διέριζεν ἐπ' ὀβριμοπάτρῳ Ἀθήνῃ
Στιλβούσῃ φρονίμου ἀγλαΐῃσι νόου.
Μοῖρ' ἐν ἐπλήσεν θανάτου, διαρυτοῖσι τάρείας
Δεύετ', ὅσοις χαρίτων ἀλόγω φάσινα μέλοι.

Io. WALL. *S.T.B. ex Æde Christi.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*In obitum serenissimæ Reginæ* Annæ *Epitaphium chronographicum.*

*Obiit Martii* 2°,
*An. Dom.*

1618 DoMIna regIna *Anna* Inter VXores poLLens
1618 eXpIrans MartII seCVnDo
1618 hIC DorMIt; regIs gnata, soror, VXor, parens.
1618 VXor erat regI & DoMIna gentI Chara.

1618 MartII erat mensis, martis crudelior omni,
*Anna* quòd eXpIrat, mense dievè dies.
Anne seCVnDa dies? sit nomine, at omine nunquàm
esse reor faustam, quæ mala tanta tulit.
1618 Gnata, sororq;, parens, hIC DorMIt regIs & VXor.
1618 regI VXor, gentI Charaq; erat DoMIna.
1618 RegIna hæc poLLens VXores Inter, & *Anna*
hæc DoMIna est generis gloria fœminei.

*O soror, O coniux, O fœmina*, uterq; Monarcha
Ingeminat, sed abest: *sola superstes* eris.
Nobile par impar nunc est moriente *Iacobi*
Conjuge; pars Regis, dimidiumq; fuit.
Parte tamen vivit meliori hæc *Anna*, quòd aurâ
Rex *Iacobus* adhùc vescitur æthereâ.
Membraq; sub capite hoc sumus, & sub *Apolline* musę
Vivimus & canimus: *Vivat Apollo diu.*

ROB. WHITEHALL, SS. Theol.
*Baccalaureus Æde Christi.*

Vnde

NVlla tuæ quamvis ſit gens impervia famæ,
Non ſic in laudes ambitioſa pias
Irruit: aut avido nomen bibit ore, iacere
Poſſit ut in tenui tanta ruina loco.
Eſt ſatis iniectâ dum ſortem quælibet urnâ
Ducit: & hanc propriam gaudet habere ſtipem.
Prima igitur Danis dabitur, ſed proxima Scotis,
Anglorum cives tertia palma manet.
Hos ortu celebres, vita hos, nos funere reddis;
Sic dos eſt regnis undiquè parta tuis.
Et Regio affinis Rheni quæ conſidet oris
It comes, ac ſobole eſt nobilitata tua.
Quæ magè ſepoſitæ gentes, peregrinaq; mundi
Littora, diffuſi nominis implet honos.
Atq; ubi magna Tui ſub terras ivit imago,
Maior es ignotis umbra futura locis.

IOHANNES HAMPTON *S.T. Bac. è C.C.C.*

VNde fit ut præſens decurrat triſtius annus?
Delicias veris iam periiſſe queror.
Regis abeſt Conjux, muliebris gloria ſexus;
Paſſa eſt occaſum ſtella benigna ſuum.
Dum fuit, *Anna* fuit divini Principis uxor,
Nunc Regis Regum, ſponſa fit illa Dei.

GILBERTVS STOAKES *Art. Mag. è Coll. Wad.*

INcipe luctiſonas mecum mea Muſa camœnas:
Extinctam Muſæ crudeli funere Divam
Flebant, vos cæli teſtes, & ſydera Muſis.
In fontes abeant ſæpè *Heraclite* fluentes
Lumina, quo mœſtũ decores cum flumine funus.
Incipe luctiſonas mecum mea Muſa camœnas.
Heliadum lachrymæ ſtillantes ſole rigeſcant,
Arboribuſq; iterum manent *electra* tenellis.
Non deflevit *Hylam* tantum *Tirynthius* heros,
Angligenæ, quantum dilectæ principis urnam.
Incipe luctiſonas mecum mea Muſa camœnas.
Heu fragilis nimium vita hæc! heu χθαμαὶ ἔχομεν!
Heu ſtudium fallax! heu lubrica vota ſalutis!
Te pereunte cadunt, ingrata veſcimur aura,
Excidimus votis, remanet ſpes nulla ſalutis.
Incipe luctiſonas mecum mea Muſa camœnas.
Ut Sol in cælo, ſylvis decus omne *Diana*
Tu decus omne tuis, cineres poſtquã urna recepit.
Sol caput abſcondit, ſylvis dea mœſta receſſit.
Incipe luctiſonas mecum mea Muſa camœnas.
Spargite humum foliis, & maſcula ponite thura.
Incedant proceres pullo velamine cincti.
Et tumulum condant, tali quoq; carmine ſignent;
*Anna ego Brutigenûm ſplendor, nunc incola cæli,*
*Ad cælum rapior ſummo par civis Olympo.*

RICHARDVS GARDYNER *Art. Mag. ex Aula Late-port.*

Quam

QVam tulit à sacro Gabriele Maria Salutem,
Illud Ave à nobis, & licet, *Anna* ferat.
Prole salutiferâ genetrix fuit utraq; fælix,
Causaq; permagnæ maxima lætitiæ.
Hæc dedit hâc vitâ pacem, dedit illa futurâ,
Propulit hæc hominum, Dæmonis illa metum.
Quam benè cõveniunt * *Annæ* quoq; nomen & omẽ
Gratia quâ niveis alma triumphet equis!
Nulla Britannorum terrebunt prælia gentem,
Dum rectâ dabitur sceptra tenere manu.
Vt vice perpetuò rectâ tua sceptra *Iacobe*
Succedant, *Annæ* clara propago dabit.
Hæc igitur poterit non fælicissima dici,
Quâ paritur patriæ vita salusq; suæ?
Cumq; foret pietate Beatæ Virginis instar,
Post illam supereſt ulla beata ma[illegible]?
Ergo Beatorum Cœlo Regina locatur,
Non erat in terris cui diadema satis.

* *Anna Heb. gratia.*

T. HOVELL, *in Art. Mag. Col. Nav. Soc.*

IVsta precor. Gentẽ Anglorũ bona fata secundent.
Sentimus læsi tristia signa dei.
Mors furit, & regnat. Mors sceptra ligonib' æquat.
Radicem & Ramos infatiata necat.
Filius *Henricus* Princeps, (vix vulnus ademptum est)
Regina & Mater nobilis *Anna* cadit.

Sospitet incolumem divina potentia Regem
Ne ruat è Britonum limite Stella *Iacob.*

IO. DROPE *Art. Magist. è Col. Mag.*

*INfandum Regina iubes renovare dolorem,*
Solvor & ut *Niobe* ſqualidus in lachrymas:
Nonne ſatis dolui vix bis trieteride plenâ,
Quin Nato Mater funere juncta foret?
*Henricum* clarum ſequitur jam clarior *Anna*,
Matrem poſt Natum fata cruenta necant:
Invida Reginam *Lacheſis* tulit, haud tamen iſtâ
Placatur *Lacheſis*: Nobilis *Anna* perit.
Overè *Annam*, inerant cui Gratia, Dona, Quieſq;
(Nam tot virtutes innuit * *Anna* pias:)
Reddidit Angligenis, dum vixit, Gratia gratam,
Largáq; quæ dederat dona benigna manus:
Ipſam poſt obitum, ſupremáq; fata beatam
Altis in cælis iam manet alma Quies:
Overè *Annam*, annos longè quæ degere plures,
Eſq; annis fieri digna *Sibylla* Tuis.

*Heb.* (i.) *gratioſa, donans, requieſcens.*

*In menſem quo obiit,*
Ὀγδοάσιος.

Menſis adeſt diri ſignatus nomine Martis,
Quo colitur miris *Anna Perenna* modis:
Orant, ut meliùs poſſint * annare, Quirites,
Exultant, cantant, ad numerumq; bibunt.
Interit *Anna*, recens & fit mutatio menſis,
Et vultu mœſto ſqualida cuncta rigent.
Omnia mutentur licet, & iam pocula ceſſent,
Tu fies Anglis *Anna Perenna* Tuis.

*Macrob. lib. 1. Sat. cap. 12.*

IO. HVLL, *Mag. in Artibus, & Col. Magd.*

*In*

## *Annæ Funebria Sacra.*

### *In occasum Cynthiæ Britannicæ:*

LAssa quòd in medio defecit Cynthia cursu,
Et subitò cassa est lumine tota suo
Haud mirum est; inter Solis quũ terra Britanni
Aspectum posita est corpus &(*Anna*) Tuum.
Hinc tenebræ Dano exortæ, Duo Lumina Rheni
Caligant, Vestisq; Albion atra tegit.
Vtcunq; Occasum fertur spectasse Cometa,
Ad nos Occasus pertinet(*Anna*) Tuus.

### *In Diem funebrìs pompæ serìùs dilatam.*

Quòd nondum Regina suo exanimata sepulchro
Traditur, æthereæ hoc crasis, an artis habet!
Sed quòd eam Musæ exanimam tingantq; tegantq;
Ambrosiæ Lacrymis, sindone in Oxoniâ:
Mirer, sic posthac si non æterna maneret,
Æternùm impatiens temporis & tumuli.

SAM. WILSON *in Art. Mag. è Coll. Æn. Nas.*

ERgóne tam nihil est, titulos jactare Parentum
Matrem sceptrigeram, sceptrigerúmq; Patrem?
Innumeros & Avos numerare propagine Reges,
Et prope sex lustris Conjuge Rege frui?
Principibus matrem natis, generóq; vocari
Socrum, dehinc Aviæ nomen habere pium?
Ista parùm poterant vt viveret amplius *Anna*,
Causa sed hinc forsàn cur moreretur erat.
Nam quæ per longam cognato sanguine stirpem
Edita Dijs fuerat, teddita jure Deo est.

MAT. STILE *in Art. Mag. & Col. Ex. Soc.*

IMperio fælix Regina, & Conjuge Conjux,
Nata Parente ſuo, Prole beata Parens,
Morte jacet, ſed morte tamen fælicior, ut cui
Jmperio liceat liberiore frui.
Tempora multiplici quondam Diademate cincta,
Quà pontum aſtringit frigore bruma rigens,
Jam cœlo æternùm tandem dominatur, & inter
Supremos ſummum jus habet illa Deos.
Nec tituli ceſſant donatur honoribus iiſdem:
Fit Chriſtus conjux, fit Deus ipſe Parens:
Nec deerit tali numeroſa propago Parenti,
Occurrent matri Pignora chara ſuæ:
Nobile,* Par fratrum, * Par nobile deinde ſororum,
Quis * Margaretta eſt major utraq; comes.
Ecce triumphantes umbræ ſanctiſſimæ Olympi
Vertice conſpicuæ cum Jove regna tenent.
I, pete jam cœlos Regina, I conjuge fælix,
Nata Parente tuo, Prole beata Parens.

* *Henricus* in Anglia mortuus. & *Iacobus* in Scotia.
* *Maria*, & *Sophia* in Anglia mortuæ.
* In Scotia mortua.

SAM. BARNARD *Art. Mag. & Col. Magd.*

*Epitaphium.*

QVis jacet hic? jacet *Anna* ſui, quæ gloria ſexus
Alma Parens, Regis filia, ſponſa, ſoror
Dum cupit *Henrici* manes inviſere: nec ſe
Novit in has, natum poſſe vocare, domus.
Inviſam, tamen (inquit, erit nec quod mihi cœlum
Obſtruat: en ſobolem mater amica ſequar.
Dania me genuit, nutrivit Scotia, laudes
Accipis & cineres Anglia pulchra meos.

Nec

## *Annæ Funebria Sacra.*

Nec defuncta tamen moritur mea fama; superstes
Dum *Caroli* floret pectore matris honos.
NAT. CARPENTER, *Art. Mag. Coll. Exon.*

*De eô, quod tempore Quadragesimæ Serenissima Regina obierit.*

ANnua mos pius est Anglæ *Ieiunia* genti
Fletibus & gemitû concelebrare sacro.
Nobilibus mos est eadem *Ieiunia* veste
Atratâ atq; habitû concelebrare nigro.
Quam benè cum veteri præsens occasio more
Convenit! O, quam Mors ingeniosa nimis!
Dum se pullatam miratur Curia, dum se
Immergit lacrymis Anglia tota pijs:
Ecce subinde novum imponit *Regina* dolorem,
Atque tegi pullis vestibus ANNA jubet.
Par olim ingenium Morti, cum *Diva* * sub isto
Tempore terrenas liquit ELIZA plagas.
Solâ veste tenùs si quis modò luxit in Aulâ,
Corde simul nunc vt veste dolere juvet.
Vspiàm & interno qui luctû tabuit, idem
Nunc geminet luctus vel sine veste suos.
Nunc licet, in plures durent *Ieiunia* menses;
Nunc licet, in longos nostra querela dies:
ANNA quòd extincta est, pia, casta, & nobilis ANNA,
Castus amor Domini, fidus amor populi.

* 24. Mart. 1602.

*Prosopopœia Reginæ* Annæ *morientis ad Serenissimum Regem Daniæ fratrem.*

*Libitina* & *Hymen* dispari ludunt modo
Mea fata, *Frater*. frigus utrisq; adfuit,

Glacieſq; pelagi dura detinuit rates,
* Nov. 1589. * Jam pęnè ſex ſunt luſtra, cùm primò meam
Dedi JACOBO conjugi conjux fidem.
Tunc gelida, memini, me Tuo affixit ſolo.
* Ad Maium vſq; ſequ. * Sex bruma menſes, *Fratris* ubi juvit frui
Vultû & *Mariti* gratiam hanc *Hymen* dedit.
Nunc, cum jugales funus extinguit faces,
Suamq; *Libitinæ* dat *Hymen* lampada;
Conſtrinxit iterum (ſic tulit fatum) freti
Glacialis vndas (heu nimis frigens!) hyems
* Sub initio Martij. * Vix dum ſoluta; prohibet & naves Tuas
Viſere jacentem, claudat vt *Fratris* manus
Moriẽtis oculos. Quàm velim, ut nunc fretũ
Commune nulla, major aut glacies, dometl
Vt ferre, quô non vela, Te poſſint pedes.
Fruſtra querelas fundo; dum glaciê volo
*Fratrem* ſolutâ pergere ad noſtros lares,
Diſſolvor Ipſa. frigus artus occupat,
Animámq; ſubitò æthereus invadit calor.
Aſcendo cœlos, vnde terras intuens
Nuntio, futurum tempus, vbi Mundo novis
Flagrante Flammis omne tolletur Gelu.
Tunc *Ipſa*, *Sponſus*, *Frater*, æterno ſimul
Vivemus ævo: nulla nos *Mors* dividet,
Nos nullus *Hymen*, nulla diſiungent *Freta*.

EDVARDVS MEETKERKIVS. *Art. Mag. ex Æde Chriſti.*

INſanæ lachrymæ privato in funere regnent,
Non dolor eſt tumulo victima digna tuo.

Non

Non vaco funeribus: plus eſt te dicere vivam,
Sentiat vt vires mors perijſſe ſuas.
Poſt mortem Regina ſibi quod poſthuma vivat,
*Carolus* hoc dicet, dicet *Eliza* tibi.

TH. BENET *LL. Bac. è Col. Omn. Anim.*

Εἰς τὰὐ κοίμησιν, τῆ ὁ ψηλοτάτης, καὶ ἐνδοξοτάτης, Βασιλίδος, Annæ Φρεδερίκας, συζύγου, τῦ κραιοτάτου, καὶ σεβαστάτου, Βασιλέως, καὶ μονάρχου, τῆ μεγάλης, Βρεταννίας, καὶ τῆ ἐξῆς· Κυρίου, Κυρίου Ιακώβου· ὃν, ὁ Θεὸς, φυλάττοι· καὶ τὸν ἀγαπημένους αὐτῦ, λαμπρῶς ἀποτίτλοι, ἀμήν.

Μὴ θράσυς, Ιερομονάχε, τῦ Κειτοφύλλου χαλάζοντος,
ἐν τῷ σιμοστέφανῳ φρουτισηρίῳ, τῦ Βαλόλ
ἐν ΟΞΟΝΙΑ.

Ἡμέραν ἀργαλέοντι κυδαμὸν ἐν ὕασι κλόμι·
Πάντας τὸ Βρεταννὸς Λέκομαι πορφυρόπας·
Αἰτι γυναῖκας τόρρα ἀολλέες ἤλθον ἅπασαι·
Ἀμπεχύμεναι φοῦ εἵματα πάνδημάτα·
Οτὶ ῥὰ ἀιοδὸν Βασιλῆϊ ἀπῆλθεν ἄκοιτις·
Τὶν καλέουσιν Αννην ἠλὶ ϝ Φερδερίκαν·
Γείνατο δ' αὐτὶν ὐυδυμὸν Βασιλεὺς Δανάης·
Ευχεσθον ἐυειδῆ ἐυχαειν ἐυπλόκαμον·
Ὑγιαιον δ' ἐυ Βασιλεῖ Ιακώβῳ τῷ πολυόλβῳ,
Εἰς φιλότητα γάμῳ ζυξαμένην νομίμῳ,
Ηυτε σιλήνη φόιτιαι ὑπαλίῳ φαέσσοντι,
Γείνατο δ' ἐξ αὐτῦ ἀστέρα λαμπρὸν φαενῦ·
Τὸν νῦν ἴσωμεν πάντων ἄλλων ἔξοχον εἶναι·
Ἀλλά γε πρὸς ὑμῶν ὑμέτερος ϝ μόρος,
Ὡς ϝ νέφος σκοτόεσσαν ταύτην ἦλθε κατακρύπτων·
Καὶ λῆν νὺξ ὁλοὴ Βρεταννίην ἐπέχει·
Αλλ' ἴομεν κλαυθμῷ ἠλὲ γόοιο ἀτρεκῆς·
Τεθνηε γὰρ πολίτης, χρεισταων δάπτης:

*In obitum Sereniſſimæ Reginæ* Annæ *Menſe Martio, die 3. Martis Defunctæ*

DIcite Parcarum tripodes, (abſq; indice ſtellâ)
Quo ſubito fato Nobilis ANNA cadit?
Quid quòd mors mediis belli rumoribꝰ inſtat?
Hoſtile imperium quùm fera bella crepat?
Ne credas belli rumores affore vanos,
En ſimul Hæc *Martis menſe die 3.* cadit.

*De Cineritio hoc libello in* Obitum *Reginæ; & Lætiori ſtylo de Sereniſſimi Regis Reditu è Scotia; Oxon impreſſis.*

*Regi* nuper *ovans* Academia ſtruxerat ARAM,
*Reginæ* aliam nunc ſtruit illa *gemens.*
Verùm ambæ vario coaleſcunt ordine: plena eſt
Plauſibus illa novis, fletibus iſta piis.
*Luc. 19. 40. Si* Illius lapides, Regi tunc advenienti
*bi tacuerint, lapides clamabunt.* Vt quondam *Chriſto*, nil niſi læta ſonant:
REX *Benedictus*, ait, *Domini qui nomine venit:*
Echo hæc *Woodſtochiæ* fertur ab *Oxonio.*
Plenior hæc Lacrymis; cujus turgentia luctu
(Si taceant homines) ſaxa vel ipſa gement.
Nec gere pumiceos oculos, qui perlegis iſta
Lector; ſed fletu prodigus eſto pio.

IOH. ENGLISH, *Mag. Art. è Coll. Ball. Soc.*

ORbis honos, & naturæ vis vltima, princeps,
Præpropero nuper funere raptus, abeſt.

Iam

Iam ſequitur prolem ſua mater; & omnia, in iſtis,
Virtutis nomen quæ meruêre, cadunt.
Dum videt hoc, ſtupefacta parens natura recedit,
Et refugit ſolitas prodigioſa vices.
Noſq; damus faciles juſto modulamine luctus?
Et benè compoſito carmine flere lubet?
Siquis habere modum potis eſt dolor, iſte loquatur,
Inq; modos teretes ingenioſus eat:
Non vacat in tantis mihi ludere voce ruinis,
Sollicitaq; elegos arte movere ſonos:
Alta magis me cura premit; quæ nec mihi verſus,
Nec mihi verba dabit. Dum ſtupeo, taceo.

D. EASTCOT *Art. Mag. Coll. Wad. Soc.*

AVlica non amo Te facundia, ſcilicet Ille
Fuſior eſt vero Liberiorq; ſtylus:
*Iacobus* non eſt Salomoni par, neq; poſſit
Doctior, aut ullo ditior eſſe modo.
Forſan in hoc fælix magis es Salomone *(Iacobe)*
Quod plures Jlli, ſponſa ſed vna tibi:
Jlli multiplicata, ſed improba quælibet vxor,
Vna tibi, tibi ſed relligioſa fuit:
Vna tibi, tibi ſed ſpecioſa, & caſta, ſed *(eheu)*
Quo laudanda magis, mortua flenda magis.

ROB. WALLOP *Armiger Aulæ Cerv.*

BEne eſt: Furoris priſtini agnoſco notas,
Intus caleſco, ſurgit Antiquus deus.
(Famuli) parate funus: Interea hoc novum,

Noſtriſq; diſpar Luctibus Veris decus
Malignitate Carminis feriam mei:
Jubeo ſileſcat garrulus volucrum chorus:
Areſcat omnis Arbor, & ſuccos procul
Introrſus ima convocet Radix, ſuos,
Omneſq; gemmæ, floſculi, frondes cadant:
Illa eſt miſeriis concolor facies meis.
Procede mœſtum funus, & pergam ſimul
Ad Mortuorum Regiam: ſalve cinis,
Pulviſq; ſalve nobilis, multùm quoq;
Salvete Vermes Regii: ô Rerum vices.
Vnquamne dira Galliam fregit manu
Ille Cinis? unquam tela *Mavortis* dei
Vibravit iſte Vermis? aut illud Nihil
Rivoſq; & altum ſanguine infecit mare?
An hæc *Iacobum*, fulgidum mundi decus,
Pulviſculorum modica Congeries tulit?
Succede mœſtum Funus, & Famuli date
Corpus ſepulchro: ponite: ôh, lentâ manu:
Senſimq; ſic, ſic: molliter jaceat precor.
Audite gentes, Tuq; Fœmineum genus
Audi, per omnes hinc & hinc ſparſum plagas:
Audite Gallæ, ſtabilis & conſtans ſibi
Hìc *Anna* tegitur: Italæ attendant Nurus,
*Anna* hìc recumbit libera, & caſta, & pia:
Hiſpana diſcat. *Anna* ſub Tumulo jacet
Humilis, modeſta, mitis, & dives tamen:
Hic *Anna* dormit (audiant cunctæ ſimul)
Illuſtre ſexus ſpecimen, & ſpeculum ſui.

Io. Sovth, *LL. Bacch. Novi Coll. Socius.*

No:

## *Annæ Funebria Sacrâ.*

*Fœmina coruſcans radiis maritorum. gl. ad l. fœmina. ff. de Senatoribus.*

LUce maritali ſplendeſcit nobilis uxor,
Dum fruitur titulis coniugis illa ſui.
Cum terrâ egiſtis veſtros ſocialiter annos,
Fulgebat radiis *Anna*, *Iacobe*, tuis.
Nunc Sancta in cœlo cum lucida ſplendeat alto,
Tu fulges radiis illius, illa ſuis.

Hei mihi; non poſſum ſolantia dicere verba
Tempore in hoc luctus, mœſte *Iacobe*, tui.
Si liceat poſſem verbis augere dolores,
Illâ non poſſum parte levare tuos.
Nempe amiſiſti Sociam, Rex maxime, talem,
Cui nemo compar invenienda fuit.
Quæ cultos mores divinæ mentis habendo
Sola eſt regali digna reperta toro.
Suaves amplexus tam raræ coniugis, olim
Dulce habuiſſe fuit, nunc caruiſſe grave eſt.

THOMAS MERRIOT, *LL. Bacc. Novi Coll. Socius.*

NObis quæ nova, vel quę dira cometa minatur?
En cadit infauſto ſydere digna *Iove*.
Principis & mortem, dirum mortalibus omẽ,
Syderis aſpectus præbuit iſte frequens.
Occidit & virtutis apex; ſic fata jubebant.
Nec dolor, aut lachrymæ, fata movere queunt.
Quid virtus moritur? majeſtas floret in orbe;
Inq; tuis geſtis, te ſuperante viget.

Pectoris

Pectoris, ingenii præstantia, splendor, imago,
Virtus, quæ tua sunt præmia numen habent.

B. D. *in Art. Mag. Coll. Ori.*

OCcidit *Anna* potens in terris, occidit una
Quæ fuerat Regis filia, sponsa, soror.
Attamen in cœlis orta est, & (maxime Regum
Christe) tui facta est filia, sponsa, soror.

RIC. PVLESTON, *in Art. Mag. è Coll. Wad.*

SIccine fata fremunt? anne exultare trophæis
Sanguineis liceat? Crede, negare, nefas.
Durities, nos non Reginam deprimit almam,
Vestra, Dii; Miserum, sic placuisse diis.
Quam vivam pietas ornavit laudibus *Annam*;
Mortua, iam fruitur sedibus Angelicis.

I. S. *Art. Mag. ex Aula S. Mar.*

IN terris cœlum, solium regni, est mihi visum,
Quo Sol *Iacobus*, Luna sed *Anna* fuit.
Eclipsis *Solis* totalis nulla probatur,
*Lunæ* deliquium sic Stagirita probas?
Deliquium sed pace tua totale negamus,
Eclipsin patitur corpore, non anima.
Eclipsin? non est tantum interjectio nubis,
Interjecta licet sit, tamen *Orbe* micat.

Siccine? dolemus versibus, numero pedum?

Non

## *Annæ Funebria Sacra.*

Non pedibus, heu nunc potiùs eſt oculis opus,
Lachrymis agendum eſt, irrigent iſtę genas,
Prodeſſe nequeat calamus aut voces; erit
Omnis dolor qui ſcribit aut loquitur levis;
Verſuſne credas ergò quos lector legis?
Lachrymas legis; ſupplet characteris locum
Singultus, excudit dolor, luges? legis;
Filius at hauſit jamdiù * *Lachrymas* pias;
Lachrymæ parenti quò parentemus manent?
Manent, & hauſtis hiſce, ſuſpiria, mori.

* *Lachrymæ Oxonienſes in obitum* Henrici *Principis.*

THO. BVCKNER, *Art. Mag. Coll. Magd.*

*Quod Regina ex* Frederici *iſtius familia nata ſit, qui primus* Lutheri *reformationem eſt amplexus.*

ILlis fama refert ortam majoribus *Annam*,
Synceram primi qui coluere fidem.
Quod Dania excuſſit Romam, Germania Papam,
Vtraq; *Luthero* debet utrumq; ſuo.
At tibi, quod vixit, debet *Lutherus*, & ipſam
Quod ſcripſit, meriti eſt hoc, *Frederice*, tui,
Digna es, tot reges inter, (Regina,) duceſq;,
Stirps tua, *Lutherum*, quæ tueatur erit.

Fred. I. Rex Daniæ.

GVIL. OLDIS *Novi Coll. in Art. Mag.*

AD nova dum nuper cœli ſpectacula, flammas
Aëre ut accenſas, credula turba ruit,
Quam longè errabat, dum ſe vidiſſe Cometam

Credidit? en fulgor ſyderis iſte fuit.
Scilicet, *Anna*, tui defuncti ſydus Iüli
Fulſit; ut excelſam monſtret ad aſtra viam.
Vade igitur, fœlix, natoq; fruare potito:
Jam poterit nullus diſſociare dies.

Io. Pyt, *in Art. Mag. Coll. Wad.*

Φοῖβος ἔην Ἰάχωβος, ἔην δ' Ἄννη ἠύτε φοίβη,
Σύνδυο τειχεσιόων χαίρεσκε Βρέλογιναν.
Ἀμφότεροι στείρεες ἰλαραῖς φαίδρυνον ὀπωπαῖς,
Ἀμφότερ' ἀλλήλοις ξυνὸν ἔθειλε φάος.
Αὖλαρ ἐπεὶ (ὡς ἄκ ὄφελεν) τόχε μόρσιμον ἦλθεν,
Ἔσβη μὲν θαλέθων, ἔκλιθ' ἑλέοιθ' ἕτερος.
Ἐκλειψις δ' Ἀγακλος ἐφυσιβέσις ἐμιμεῖτ' Ἀνάσσης,
Οὐνεκα δακρυχέων φέγγος ἀμαυρότερον
Πᾶλιν ἄπαγ' Ἀσεσλόγυς, κενεόφρονας, ὀρφυόεντας,
Μηδὲν ὀπιζαμένους, πάντα δ' ὑποσαμένους.
Τίς πόθε δ' κείνων κὴ μυρία γαυειαίνταν
Ἐκλειψιν πάυσαν πρὲν λεγεν ἐσομένην;
Ἠμάλα σύγγνωστε· ὅπ μήνης ὑπρὲν ἀφύσης,
Ἐνθ' ὅπ ἀεθλεύσης, ἔκλιπεν ἠέλιος.

Ἐπιτάφιον.

Τίς; Βασίλεια τίνων; Ἀγγλῶν, Σκώτων, κὴ Ἰέρνων·
Ἐκ πόθεν γεγαῦα; κλυτῆς Σλάσημα Δανίης·
Πῶς δ' ἔδυνες; πῶς δ' ὑκ ἔδυνον μελιῶσά γε ζωήν;
Πῶς δ' δανῦσα ζάοις; πῶς δ' αὖ πάλι ζῶσα θάνοιμι;

*Mœrentis patriæ* Σχέλιασμός.

Ergóne Clavator totum peragraveris orbem,
Vt caput impeteres dire Cometa meum?
Ergóne funeſtis gentes tremefeceris omnes
Jgnibus

Jgnibus, vt pœnas una Britanna luam?
Grandine quin ſegetes, quin vaſtes fulmine ſyluas,
Quin campi immodicis exuperentur aquis;
Quin fera terrificis latè graſſetur Erinnys
Paſſibus, & fævas intonet uſq; minas;
Omnia quin rerum patiar diſcrimina, tantùm
Ad vitam redeat, quæ mihi vita fuit.
Scilicet hoc uno poterat gens perdier ictu,
ANNA ubi defuerit, nequa BritANNA foret.

Proh! quibus auſpiciis? qualis mihi volvitur Annus?
*Ver* ſimul advenit *primula-veris* abit.

Jn laudes (Regina) tuas quod ſcribere conor,
Eluitur lachrimis protinus omne meis.
Hoc tamen è calido, raptum velut, imbre ſuperſtes:
*Neſtoreis Annis dignior Anna fuit.*

Io. Smith *in Art. Mag. è Col. Magd.*

## ANNA *Parens Patriæ.*

PErſonatus eat dolor hinc; fictæq; querelæ,
Quærant *Novercæ* funera.
Has parat exequias, *orbata* Britannia, *Matri;*
*Matrem* requirit anxia.
Nam ſi Rex *Pater* eſt, *Mater* Regina; *Parentes*,
Et hæc, & ille, *Patriæ.*
Et qui nos *Annæ*, qui nobis invidet *Annam*,
Hic, *Parricida*, morbus eſt.

Ergò *parentetur* genuinis luctibus *Annæ*:
Quæ jure *Matris* imperat,
Non tam ſtagnantes vultus, oculoſvè natantes;
Quàm cor dolore ſaucium.
Hæc qui juſta negât charę ſuſpiria *Matri*,
Aut *Spurius* hic, aut hoſtis eſt.

Io. King. *ex Æde Chriſti, in Art. Mag.*

TAm ſubito fluctu Lachrymarũ immergeris, *Anna*,
Ut dubitem Corpus, Terra, vel unda tegat.
Nil opus eſt tumulo, lapidum ſtructura peribit,
Tu tibi Corda paras, fortius ædificas.

Franciscus Lancaster,
*Ædis Chriſti alumnus.*

GAudia quæ nobis peperit Regina, peremit,
Deſeruit miſeros, illa beata, ſuos.
An quis flere vetat miſeros miſer? at malè lu-
Qui lachrymis ſcribit, quæ meliora videt. (get
Sed cur fata negant, unà nos eſſe beatos?
Triſtis ades Lector? nil tibi triſte cadat.

Ed. Wilson, *Art. Mag. Soc. Col. de Balsolo.*

VIſeret ut nuper Scotiam, patrioſq; penates,
Obtinuit fœlix, Rex *Iacobus* iter.
Cujus, ab occaſu, ut *Phœbi* redeuntis imago,
Sic

Sic reditus lætus, triſtia corda levat.
Haud ita fœlici ſucceſſu regia conſors
Tranſiit ad terram non reditura *σωτῆς.*
Nec tamen hanc patriam fas dicere, at illa ſupernè eſt
Dum redit ad cœlum ſpiritus, indè datus.
Et ſoror, & coniux, & regis nata potentis,
Quid niſi cum ſanctis cœlica regna petat?

MATH. WILLIAMS *Art. Mag. Soc. Coll. Bal.*

ERige *Tycho* tuum Quadrantem. Nonne videris
Stellam per Daniæ clima videre novum?
Suſpice. Quid dextro ſic fulget Lumine Tauri?
En binos oculos nunc habet: unus erat.
Scilicet avulſus nobis eſt alter, ut eſſet
Cœlorum facies integra, manca prius.

M. IERMYN *Art. Mag. C. C. C.*

ET lachrymæ, & mœſtâ repetitæ voce querelæ,
Quæq; dolor dictat malè congrua ſingula muſæ;
Fucus abeſt, & queis gaudent figmenta Poëtæ;
Tempora non lauro, at triſti redimita Cupreſſo
Cernimus, & nihil eſt quod non terrere Poëtam
Poſſit, pacatas mentes decet eſſe Poëtis:
Nec nobis ſterilis Muſa eſt, ſed pigra dolore;
Effari nos ipſa vetat te digna, dolere
Certè non prohibet, nec inofficioſa ſilendo eſt.
Squallore & torvo vultu libet eſſe Poëtam;
Impallere juvat, juvat indulgere dolori,

Dumque ſuperſtes ero, pariter dolor ipſe Coævus
Perſtabit, memorem eſſe tui mors ſola vetabit.

Hoc ſæclo rediviva foret ſi *Leſbia Sappho*,
Ploraret dubium eſt doctiùs, an caneret.

IO. GERARD *Art. Mag. ex Æde Chriſti.*

QVàm benè convenêre diù *Leo* noſter & *Agna*!
Hinc *Leo* tàm mitis, fortis & *Agna* fuit.

Hoc verè *imbriferum ver* dicitur; Iris in omni
Eſt oculo, nubes excipit *atra* jubar.
Diſcimus hinc generari imbres *Regione Supremâ*,
Invitis oculis cernimus inde *nives*.
O, ſerò immittas, pater optime, ſerò reſolvas
Has *Capitis* (nimiùm jam tumet unda) *nives*.

*De extinctione Incendii quo devaſtata eſt Porticus Alba-Aulæ.*

Si modò flamma vorax, quæ nuper, tangeret Aulam;
Par igni, ex oculis qui fluit, Humor adeſt.

*Bathon. Mortua jam repetis Thermas, ut * viva; Sepulchrum
Fletibus in Thermas vertitur, *Anna*, Tuum.

THO. PRICHARD, *in Art. Mag. Coll. Ieſ. Soc.*

Per

PErfidus, invidiâ non posthac gaudeat; hostis,
Quisquis erit caveat: nobis furor arma ministrat
Fataq; si veniant, veniunt non hostibus, ista:
*Anna* fuit fatum, moriemur vulnere in isto:
Turpe mori post hanc; solo non posse dolore.
Lentius an moveant lacrymæ dum funere in uno
Turba dolet passim? sequitur fletuq; frequenti
Et populus, populiq; deus: dolor ille recedit?
An multis miscere juvat lugubria fata?
Sic leviora cadunt fateor, sic mille carinas
Naufragus aspiciens, immersas æquore gaudet.
Dulce est in minimo socios habuisse dolore.
Tristius at fatum, miseri sentire Britanni
Credimus, infandum jussi renovare dolorem.
Græcia, percussum quondam lugebat, Achillem,
Pallida mœstitiæ facies fuit omnibus æqua
Et Priamum se quisq; facit; facit Hectore rapto.
Quis non hoc, proprium plorabit funere, funus?
Nec satis in luctus tantos, patet Anglica tellus.
Non *Annæ* cineres, & tanti nominis umbram
Nostra sepulchra tegunt; tumulū sibi vendicet orbis.
Scotus enim, Cymberq; nigræ solennia pompæ
Concelebrant; non est tanta contenta favilla
Sit licet urna capax; veros mentitur amores
Scotia; Reginæ tumulum, monumentaq; fingit
Et cineres servare sacros: sed amabilis error
Ludit; & en video Danos sua dona ferentes;
Vt statuant tumulum, mendaxq; ornabitur urna.
Et cælaturi simulato carmine nomen.
Grata erit hæc pietas, altâ sed saucia curâ
Anglia sola manet; nostri monumenta doloris

Vidimus

Vidimus, ingentes fœdatos pulvere, Reges
Reginaſq; ſacras, & qui naſcuntur ab illis;
Artificis dum dextra potens, & gloria fælix
Parcarum exorat falcem, fatumq; repellit.
Hæc miſcere nefas; certamus amare metallo:
Cum tumulis tumuli dentur, carmenq; vetuſtas
Expunget, ſtabit ſic *Anna*: & mente repoſtæ
Quilibet eſt illi, tumulus, pectuſq; ſepulchrum
Omne manet; nequeunt monumentaq; tanta perire.

Naufragus inſanas timeat, cur æquoris undas?
At metuat dubij fluminis ire vias?
Quid triſtes Hyadas, & monſtra natantia vitat,
Neptuno venti, cum fera bella gerant?
Intus flumen erit, proprias Regina per undas
Fluctuat, & pelago mergitur ipſa ſuo.
Naufragium ſic nemo fugit, pelagiq; ruinam:
Viſceribus proprijs, altior unda fluit.

TH. GOFFE *Art. Mag. ex Æde Chr.*

Anna (in) *Gratia.*

GRata Deo & populo tam re, quã nomine Prin-
Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis. (ceps,
*Gloria* jam tota es, quæ *Gratia* tota fuiſti,
Quam benè mutatur ſors tua, morte tuâ!

Flos regni cecidit, vitio ſed temporis; Annus
Vere ſolet flores qui dare, vere rapit.

*Martius* è vita tulit hanc *Menſiſq;*, *Dieiq;*,
Ater erat Menſis, nec minùs atra dies.

Num

Num *Mavors* veteres ſapiens mutavit amores?
Cui *Venus* in votis, noſtra *Minerva* placet?

Cur huic *Per*-petuos non fecit Iupiter *annos*?
*Anna* fuit, cur non *Anna Perenna* fuit?

*Mortua eſt dolore pedum, Sole exiſtente in* Piſces.

Hanc rapit è vivis, fera conſtellatio, *Piſces*,
Nec mirum, in cunctos fas habet illa pedes.

Io. Grent *in Art. Mag. Col. Novi Socius.*

CVr ſuauis cadis (*Anna*) roſis immiſta duabus
Tertia? quo fato defluis ante diem?
Decerpſit fatalis hiems quæ ſydere fulſit
Horrifico? in cauſâ forſitan illa fuit.
Fabula, quin mortale gelu peperiſſe putetur
Anglia peccatis ſola gelata ſuis.

Io. Harmar *Art. Mag. Coll. Mag.*

ACcipe relliquias *Annæ*, quæcunq; datura es
Hoſpitium, tellus: accipe & hanc lachrymã.
Nunc gremium ditare tuum fas hoſpite tantâ:
Quicquid habet virtus, hæc dabit urna tibi.
Quæ tot divitias unâ complecteris urnâ,
Funeribus facta es, quam pretioſa tuis?

R. Paine *Æd. Chr. Mag. Art.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Ad honorem Serenissimæ* Annæ, *M. Britanniæ Reginæ, carmen ἐγκωμιαστικόν.*

TRes sunt Reginæ, quarum lætamur honore;
Tres, quarum facta est *Anglia* laude loquax:
[a] *Elizabetha* prior, fuit altera [b] *Margaris*, *Annæ*
Tertia dum taxat tempore posterior.
*Angliæ* erat regina prior, *Scotiæq;* secunda:
Major in imperio his *Anna* utriusq; fuit.
Fœlix [c] *nepte* prior, fœlix [d] *pronepote* secunda:
Tertia mox fœlix [e] *prole* futura suâ.
Vnijt illa *rosas* fœliciter, ista *leones*:
Fœdus cum *Danis Anna* perenne dabit.
Illa dedit reges *Anglos*, dedit ista *Scot-Anglum*:
Filius ex *Anna Dano Scot-Anglus* erit.

ALEX. HVISH, *in Art. Mag. Coll. Wad. Soc.*

a Henrici sep. uxor.
b Margareta ejusdem Henrici sep. filia.
c Elizabetha.
d Iacobo.
e Carolo.

CArmen si expectant Reginæ busta, petendum
Est, ubi mens curis non onerata vacat.
Non mea pertristis cantabit Musa, Dolores
Quum genium impediant ingeniũq; meũ.
Vin' causã? in promptu ratio est: *Anna* occidit, *Annæ*
Quæ soror, & Regum filia, & vxor erat,
Et mihi quod pluris, Regina erat illa *Britannis*,
Principibus binis Mater & alma pijs.
Heu, quod sponsa fuit: Soror, Heu, quod filia, Mater
Regum: Quod hôn est, hinc lachrymæ, inde dolor.
Cura loquax levis est, Ingens stupet: Ergo stupore,
Concludens lachrymis Carmina Musa file.

ROG. IOPE *Art. Mag. Coll. Exon.*

*Lectus*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Luctus cœlestis in obitum Sereniſſimæ Reginæ* Annæ: *&c.*

SOla *Venus Teucris* favet, & *Saturnia Graiis*,
*Cecropiiſq;* ſuis Sola *Minerva* favet.
Omnes te coluere *Deæ*, dum vixeris *Anna*:
Dum moreris deſient *Iuno*, *Minerva*, *Venus*.

*Epitome totius huius operis*,
Ad Aulicos
*Toti huic operi non vacantes.*

Hic omnis geminam calamus deſcripſit Elizam,
*Pace* datam ſuperis, præſide *Marte* tamen.
Omnis in occaſum meminit moviſſe Cometam,
Æquâ librantem ſingula *Lance* levi.
Hic nullus tacuit generoſi triſtia *Dani*
Fata, quod occubuit nobilis *Anna ſoror*.
Hinc alias cecinit *Germanica Muſa* querelas,
Dum *Matrem* abſentem prædicat atq; *Aviam*.
Nec ſiluit proprios *Scot-Anglica Muſa* dolores,
Conſors *imperij* quod jacet, & *thalami*.
Terreſtri tandem quæ deponente corona,
Poſſidet *Auſtralis* nunc diadema poli.

G. ARMSTON *in Art. Mag. & Soc. Coll. de Bal.*

MVſa Heracliti mea: non eſt muſa poetæ,
Naturæ eſt: non eſt hic dolor artis opus.
Flet lacrymis natura: modis numeriſq; poeta,
Non addo lachrymis, verſibus addo modũ.

I. WILLIAMS *Art. Mag. ex Ani. Cerv.*

SYdera præsentis minitarier usq; Britannis
Albumazar? plus an quo feriamur, habent?
Sic jam pacatis ubi bellum indicere stellis
Molimur, nos en quanta ruina manet?
Sed fuge venturos rimando accersere luctus;
In nostris tantâ non opus arte malis:
Fata satis properant, vel non prævisa, nocere;
Respice, & à tergo fata quid ecce tenent.
Quis non his mergi lachrymarum gaudeat vndis?
Vivere nil aliud, quam gemuisse putet?
Ista piam solum produnt suspiria mentem;
Quisquis plura timet, non dolet ille satis.

T. HOLT *in Art. Mag. è Coll. Mag.*

*Ad Regem.*

PRincipis, extincti dudum renovare, * sororum
Vel mortẽ meminisse, dolor novus usq; recurrit:
Chara tui soboles, cœli incrementa, Maria
Et Sophia, *Henrici*; stupet ingens cura dolentis,
Siq; animus meminisse horret, si * ferre recusem,
*Infandum regina iubet renovare dolorem.*
Non pietas? non prisca fides? & singula virtus
Mortem? non populi fasces & purpura regum
Flectere sacra potest? gaudet certamine tantæ
Principis evictæ, probet utpote γνῶμα poetæ
Pallida mors, æquo pede pulsaviſſe tabernas
Pauperis, & Regis nullo discrimine turres.

Non mortis Chronogrãma peto, non tempora, nec
Syderis aspectus, vel quæ portenta comeræ: (vel
Commovet affectus hęc circumstantia nullos:
Quicquid

* Matiæ & Sophiæ.

* Referre,

Pallida mors æquo pulsat pede pauperũ tabernas, regumq; turres. Horat.

Quicquid delirant, Reges plectuntur, Achivi,
Crimina nostra dolor tuus arguit; Ethnicus ipsum
Quod præco, & vates prædixit ὀνώνυμος olim,
Iracunda Deum deponere fulmina tandem
Non patimur, nostrum cum tam scelus exigit iram.

Nec per nostrũ patimur scelus iracunda Iovẽ ponere fulmina. ibid.

Siste, rogas morbum, mortem, causamve dolendi,
Differat à causâ mors (reor) ipsa parum:
Si mirum est, unum retinens erit utraq; nomen,
Regis idem, & nostrúm creditur esse * malum:
Respectu patientis erit; quæ fecimus ipsi
Non, sed quæ patimur nos, mala nostra voco.
Conjugis, vxoris mors, est dolor, inde malum, quod
Regis, idem, & nostrûm dicitur esse dolor.

Alias ἀινιγματικῶς *The Kings evill.*

G. STAFFORD *Art. Mag. ex Æde Chr.*

CElsum numen eras, dum fovit spiritus ossâ,
Mors licet invita est; numine numen eris.
In terris, cælisq; simul Regina locaris:
Corda dolore regis nostra; quiete tuum.

ÆGID. WIDDOWES, *Coll. Ori. Art. Mag.*

*De ascensu animæ beatæ in Cœlos.*

QUandò per astriferi gemmata palatia cœli
Venit ad *Henricum* nobilis umbra suum:
Sic fatur lachrymans: Vitæ pars justa marito
Iam data, debetur cætera, Nate, tibi. (est

I. HAYNE *in Art. Mag. è Coll. S. Iohan. Bapt.*

CArmina *Pieridum* lacrymæ, fœcunda Camœna
Luctibus indulgens quæ parit arte Elegos. (eſt
Mœror ad Exequias, triſtis monumenta doloris,
Tendit, & exequiis his, dolor obſequium eſt.
Diffluat ah tumidus lachrymarum pondere luctus
*Annaq;* Muſarum rore ſepulta ſiet.

*Anagramma.*

ANNA STVART, ET CAROLI MATER, AH MORTVA.
*Olim Tu ter chara, Te ſanat ramo Natura.*

*Dialogus inter* { Angliam, & Annam.

Angl. *Olim chara* tuis, divo ah *ter* chara JACOBO
Matrona, Angligenis regia & alma parens,
Cur *Tu* deſtituis? vidua eſt, concuſſa dolore
Anglia. *An.* Sed cœlo Sponſa beata tua eſt.
Angl. Arbore quin ramus dudum præciſus, & heu
Nunc arbor cecidit. *An.* Ramus at orbe viget
*Carolus*, & fructus ſpes eſt in germine Vitis;
Clara viret ramis ELIZABETHA ſuis.
*Te* duplici hoc *ramo ſanat Natura*, JACOBI
Jacturam duplicem; mortua ſic vigeo.

*In obitum* Annæ *Chronogramma.*

1618. SaCrVM trIstI sIC LVgens
ConseCrat sepVLChro.

THO. SAVAGE *Coll. Magd. in Art. Mag.*

Olim

## *Annæ Funebria Sacra.*

OLim ex Arctöis acies transvecta pruinis,
Subdiderat Dano colla Britanna jugo.
Oderat Hostiles gens vinci nescia fastus,
Nocturnoq; cadunt funera mille dolo:
Distulit Vltrices *Nemesis* pro tempore pœnas,
Inferiis umbras passa carere suis.
Scilicet arcano quondam fore conscia fato,
Cum gerat invisum sceptra negata genus:
In malè tentati sortem, clarissima, regni
Auspiciis tandem venerat *Anna* novis:
Cum sævæ, quibus alta sedent opprobria, Parcæ
Nos prohibent læso sanguine posse frui:
Et quam delicias regni columenq; secundum
Cognôrunt, fato præcipitante premunt.
Parcite placati manes; urniſq;, favete,
Ampla nimis merces omnibus *Anna* fuit:
Vtq; focos quondam Vigiles, moriente favilla,
Obruimus madidis gens miseranda genis:

Quid sacros lacrymis cineres luctuq; rigamus?
Regia tam res est vivere? dura mori?
Sic iuvat ingentes portu se condere remos,
Et superis tantis mercibus usus erat.
Stella oritur cœlo, quæ terris occidit *Annæ*;
Arq; novo gaudet pondere fessus *Atlas*:
At tu Diva, tui facient quia numina juris,
Quâ radians cœli parte sedere velis:
Aspice nos recto lacrymantem sydere gentem,
Vt foveas terram stella benigna tuam.

HEN. ASHWOOD, *Art. Mag. ex Æde Chr.*

At

AT non usq; adeò *Tumuli florentis Honores*
Sollicitent Musas: aut pars avulsa *Iacobo.*
*Vrna Cinis* Parcis ludibria; plectra lacessunt
Non aliâ quoties donatur imagine funus.
Non illo nostræ victuræ pectine chordę.

Noster se pretiis dolor excitat: *Anna Iacobo*
Gloria rara tori: quasi sit fœcunda Luperco,
*Anna* per innumeros transmittet sceptra Nepotes:
(Inclyta progenies magis, an magis inclyta mater?)
Ne Britonas dubia formidine torqueat hæres.
Par populi votis: Gens infœliciter orba est
Principe, quæ incertos ornat diademate crines.
Diva labor vatum & fastorum rursus *Eliza*,
Te pereunte, mihi poterat periisse videri:
Quæq; exempla Annalibus *Heroïna* ministrat
*Dote laborata*, & Cimbrorum dives Avorum.

At dum dimidio *Iacobus* funere friget,
Viventisq; sui partem dolet esse sepultam:
Et divortia mortis agunt *Connubia Rheni*:
Lucinasq; alias, atq; addita nomina fratrum
Usq; puerperiis *Carolus* dum tristior optat:
Nulla magis tremulas quatiunt suspiria fibras.

*Ad* Iacobum *&* Fredericum *Principes*
*de* Annâ *defunctâ.*

Et *Soror*, & *Coniux*, & vestri pignus *Amoris*
Implicuit nexu congrua vota pari.
Auget adhuc senium & complexus arctat amorum
Certior *in luctûs* fœdere durat *Amor.*

GAMALIEL. CHASE *Art. Mag. C.C.C. Soc.*

Hæc

## *Annæ Funebria Sacra.*

HÆc tribuam menſi, aut caudatæ funera ſtellæ?
*Annæ* fata piæ fingere, Muſa nequit:
*Mars* ſiquidem in divam nollet ſævire beatam
Divus & amiſſa *Pallade*, mœſtus erat.
Miror eos, qui fata Deæ tribuêre Cometis,
Aſtra velut regerent, qui ſimul aſtra regunt.
Auſpicor indè deam non hic voluiſſe manere,
Vt poterat reliquas conſociare deas.

DA. LLOYD *è Coll. Omn. Anim. in Art. Mag.*

ANglica Sphęra tremit, ſeceſſit ſplendida *Phœbe*,
Occidit (heu) noſtro non reditura polo.
Regna Britannorũ, quaſſato murmure mundo
Eclipſin ſolito lumina caſſa ſtupent.
Quippe inter Solem noſtrum Lunamq; priorem,
Terrarum moles (heu) nimis ampla jacet.
Tempus erit, quandò diſcuſſâ hâc nube, reſurget,
Quo magis obſcura eſt gloria, major erit.
Interea *Phœbus*, plenô ſplendore coruſcet,
Et ſolita curâ Sceptra Britanna vibret.

ABRA. FORMAN *in Art. Mag. è Coll. Magdal.*

QVàm fruſtrà quondam vicit nos Dania! bellũ
Danorum antiquum, fabula viſa mihi eſt.
Dania jam veros plãctus, verumq; triumphũ
Aſpice, jam æternum triſtitiæq; jugum.
Non tamen hìc aciem aut victricia ſigna videmus,
In noſtro occubuit veſtra ſed *Anna* ſolo.

## *Annæ Funebria Sacra.*

En tibi fletum Anglus ſolvit vectigal ocelli,
Et gemitus, cordis vera tributa ſui.
Nunc libertatem non jactes, Anglia, fato
Jam verè victa eſt Anglia tota tuo.

RIC. MADOCK *Art. Mag. Ædis Chriſti.*

NEmpe nihil fixum, ſuperi, datis? omnia ſedes
Summa negant noſtras: quę tanta potentia tantũ
Jus habet in numen? nullo diſcrimine divæ
Mortaleſq; abeunt? ſcelus eſt dixiſſe peribat,
Quæ vitam toti tædis fœlicibus orbi
Reddidit, & quodcunq; bonum eſt quocũq; ſub axe.
Plaudite cœleſtes animæ, venit altera divûm
Sancta parens, & te (virgo veneranda) ſalutat,
Vtraq; ſic fœlix, fœlici prole ſalutem
Altera mortali generi dedit, altera ſervat.

GIL. IONES *Art. Mag. Coll. Omn. Anim.*

AN potuit? Regina? Novum hoc non eſſe docebat
Cantata mater, *Hectoris* vatum gregi:
Et fidei exemplum Conjux patientis *Vlyſſi*,
Quarumq; famam ſera poſteritas colit:
Aut, ſi quo pretio redimi mors horrida poſſet,
*Eliza Dryadum* noſtra ſuperaſſet dies.
Haud mors poſcit opes, locupleti proxima Diti,
Solvas avara congerit Regum neces:
Quò lacrymas? poſcit juſtum Natura: feramus.
At *Anna* periit, nomen æterni decus.
Scire ævi dignum: Lacrymæ properate fluentes:

Vi-

Viciſſet iſta quamlibet *Democriti*
Splenem vaſticies. Virtuti fata minentur,
Ipſiſq; Divis præficæ funus parent:
Nil immortale eſt: fallit ſpes ultima rerum:
Deſinite Gentes colere ſpirantes Deos.

M. P. *in Art. Mag. Ioannenſis.*

*Threnodia.*

*Proſopopœïa Mortis ad Sc. Da. Rh. & Ang.*

PLangite Regnorum Tetras, tempuſq; querelis
Et Scotus,& Danus,Rhenus,& Anglus agant.
Æmulus æterno certet viciſſe dolore
Quilibet, & cauſæ ſit ſatis, *Anna* jacet.
*Anna Stuarta* jacet; nimia eſt hîc cauſa *dolendæ*
Cauſa ſatis cuivis, quod jacet *Anna*, *mori*.

*Reſp. eorum.*

Sæva feri,nam cauſa placet, conſterne,paramur,
Atq; unâ querimur non licuiſſe mori.
Quatuor *Anna* jacet Regnorum Cura,Saluſq;?
Turpe foret poſt *Hanc*,nolle dolendo mori.

*De Cometa.*

*Aſtrologus.*

Regia qui dixit minitari buſta Cometas,
Infœlix Nobis ille Propheta fuit.

*Theologus.*

Quid ſtellas quereris? quare aſtra minantia gannis?
Nil niſi noſtratûm culpa, Cometa fuit.

## *Annæ Funebria Sacra.*

Culpa gravis; solâ & Reginæ Morte pianda,
Delicti alterius sic ea damna tulit.

*Quod obiit paulo ante anniversarium tempus Regiæ inaugurationis.*

*Anglia Regem alloquitur.*

IMpia Mors miseræ, quamvis sit sæva, pepercit
Luctubus hoc tempus constituendo meis.
Postquam *Hæc* interiit; *flendi* modus ullus an esset?
Quis non in silicem diriguisse velit?
Mox nisi reddiderat memores lux lætior Anglos,
In Regnum adventus, Rex *Iácobe* tui:
Teq; ego dum memini, rupissem viscera, Regem
Gaudendo; lachrymas sed jubet *Anna*, meas.
Dulcia sic mæstos exequant gaudia planctus.
Sic juncti, vires mollit uterq; suas.
Si post oblongæ tenebrosa crepuscula Noctis,
*Vna Dies Nobis solstitialis erat.*

H. S. *Art. Mag. Coll. C.C.C.*

*Hexasticon de Mense in quo obiit* Anna *Regina.*

MArtis dirus erat Mensis, quo morte peremptã
Vidimus *Elizam*; mensis & *Anna* tuus.
Siccine? Num Martis nomẽ meruisse videtur,
Quo geminæ tales occubuêre deæ?

Mars

## *Annæ Funebria Sacra.*

Mars à morte habeat nomen, nam litera tantum
Non differre facit nomen, ubi omen idem.

Io. Hvnt *in Art. Incept. Ex. Coll.*

Εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑψηλοτάτης, καὶ ἐνδοξοτάτης
Βασιλίδος Φρεδερίκας Ἄννης συζύγου τοῦ
κραταιοτάτου Βασιλέως Βρεταννίας.

Φεῦ ποσαχῇ Ἀγλοῖς Μόρος Ἄννης ἄλγεα τεύχει!
Φεῦ πόσ' Ἀθηναίοις δάκρυα καὶ Ἐλέγους!
Ὠυρανόεσσα Διὸς θυγάτηρ, Κύπρις, Ἥρη, Ἀθήνη
(Οὐ γὰρ ἐπὶ χθονιαῖς ἦε γοναιξὶν ἴση)
Ἡμῖν οὐρανόεσσαν ἕην ἀπέκρυψεν ὀπωπὴν
Πάχυσ' ἐκλύσεως, καὶ θανάτοιο βέλη.
Φῶς ἐκλειπούσης, ἄρα νῦν ἀπόλωλε σελήνης,
Καὶ μὲν Ὁρίζοντος νύξ σκοτινὴ πέλετο.
Φοῖβος θ' ἡμετέρας νήσου μόνος ἶφι ἀνάσσει
(Ὃς φέγγος Τενέδω) τοῖς Βρετάνοισιν ἱεὶς.
Φοῖβην Σεὺς δ' ἐθέλησεν ἄγειν ἐς ὁμήγυριν ἄστρων,
Ὃς ἀπὸ τοῖο λαβεῖν ἠελίοιο φάος.

Nescio quid nobis fatale Cometa minatus,
Qui nimis accensas porrigit usq; faces:
Non potuit *Phœben*, *Phœbe* invidisse, sequutus
Cui vitam, & motum debuit ille suum.
Cur ergo Eclypsin *Phœbe* modo passa recessit
Angligenis radiûm lumina sacra negans?
Scilicet hæc cœlis alium sibi deputar orbem,
Luceat ut nobis splendidiore comâ.
Tantillus *Phœbe*, *Phœbóq;* haud sufficit orbis,
Atq; opus est Sphæram viseret *Anna* novam.

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Phœbus* enim ſupereſt Anglis, longúmq; ſuperſit,
Ut *Phœbus* (*Phœbe* depereunte) micet.

Io. Wood *Inceptor in Art. Coll. Bal. Socius.*

QUid? duo, quid? duplici diademata triſtia plan-
Non diadema, ſatis? bis gemuiſſe ſatis? (ctu?
O ſoror! O coniux! diſtantia regna reclamant,
Illam Danus: at hanc Anglica terra gemit.
Hanc (*Iacobe*) doles: Danorum Rex dolet illam:
Unicus ac duplex regius ille dolor.
Siſtite (Magnanimi) lacrymas: Regina revixit,
Eſt Regi coniux, Regi eademq; ſoror.

*Epitaphium.*

Hic Regis ſoror, hic coniux, hic filia Regis:
Det Deus, ut Regis dicta ſit eſſe parens.

ED. BVRTON *Coll. Mag. Soc. & in Art. Incep.*

VNde Cometa novus, mixtâ cum fulgure flâmâ?
Reginæ ad cœlum lux nova monſtrat iter.

Et ſoror, & coniux, & Regis filia, mater,
Tantùm non regis, Principis *Annæ* fuit.

*Mortua eſt Die Martis.*

Ne mirere, Die cecidit quod fœmina Martis,
Spicula nam Martis, ſpicula mortis erant.

Ed. Holt *Baron. fil. nat. Max. ex Aul. Cero.*

Cur

CVr Ver non ceſſat teneros producere flores?
Hos dat ad exequias, *Anna* verenda, tuas.
Illicò naſcuntur morituri, ac lilia gaudent
Reginæ mortem condecorare ſuâ.

H. HART *Equit. aur. fil. Ioannenſ.*

DAnia quam peperit, rapuit quam Scotia, gemmã
Anglia, ne poſſit perdere condit humo.

T. SWANNE *Eq. aur. fil. Ioannenſis.*

ITriſtis Libitina veſte pullâ,
I per Cæſaris atrium ſuperbum,
Mandatoq; ſilentio, dolorem,
Luctus, & lachrymas, ſonoſq; triſtes,
Manda. Mox fuge mœſta per Suburram,
Dic væ civibus. atq; triſte ſignum
Mortis concute funebrem Cupreſſum.
Et ſi quis tacite rogabit vnde hæc?
Dic, ſed cum lachrymis: perempta morte
*Anna* eſt. Tunc fileas. Dolebit Orbis.

COR. FAIRMEDOW *Armig. fil. nat. max. Ioannenſis.*

EXpreſſiſſe ſatis videar pleneq; dolorem,
Si ſolum verba hæc, Occidit *Anna*, loquar:

Ea

## *Annæ Funebria Sacra.*

Eſt dolor hic ingens, hoc noſſe quod Occidit *Annâ*,
Atq; ingens mœror dicere pauca ſolet.

R. Cæsar *è Coll. Reg. Bac. Eq. Aur. fil.*

QVid tibi Pyramides, quid Mauſoléa parantur?
Quanto tuus vincat pondere ſaxa cinis.
Altius Æthereâ tua virtus ſubvolat arce,
Et tibi pro vita eſt neſcia fama mori.

Cedite magnarum cœleſtis turba Dearum,
Deq; tuo migra, Iuno ſuperba, loco.
Majus numen adeſt, poſtquam regina reliquit,
Pro Jove, Cæſareæ, regia ſceptra, domus.

Timolvon Gorges, *Equit. aurat. fil. in art. Bac. ex Æde Chr.*

CAroli *Henrici* vivit Succeſſor; at *Annæ*
Quæ fuerit mulier digna tenere locum?
Si qua ſit in terris ſimilis tibi fœmina, (Princeps)
Pro certo, ex utero prodit illa tuo.

Heu! vitio noſtro morti datur inclyta Princeps,
In cœlo vivit ſed pietate ſuâ.

F. RAINSFORD *in Art. Bac. Eq. Aur. fil. ex Aula Cervina.*

SOla laborantem ſenio mors ipſa refingit
Solis avem, mortem hæc unica morte fugat.
Noſtra itidé Princeps mortem ſic morte fugavit,
Atq; illi vitam mors dedit ipſa novam.

Nam vice terreſtris (quam quæ non auferat hora?)
Lucis, inextinctum lumen in axe nitet.
ÆGID. ESTCOVRT *Eq. aur. fil. nat. max. Wad. Coll*

NOn magis ille dolet, qui plurima carmina fundit,
Quam qui vix loquitur, ſed dolet, atq; ſtupet.
Nulla meum poſſunt expromere verba dolorem,
Sed tantum poſſum dicere, quod doleo.
Nobilitas, candor, virtus, & ſplendida forma,
Hæc decorant cineres (Nobilis ANNA) tuos.

RORERTVS NAPEIR, *Exon. Coll.* Roberti Napeir *militis & Baronetti filius natu maximus.*

TEmpore quo Phæbo juncta eſt argentea Phæbe
Pars verſus terram luce carere ſolet.
Altera ſed cœlum ſpectans clariſſima ſplendet.
Nec ſpargit radios ſtella vel ulla magis.
Cinthia terreſtri privatur lumine parte
Noſtra: ſed in cœlis clarius illa micat.
T. GOWER *Eq. aur. fil. nat. max. è Col. Wad.*

*Quod obierit Mènſe Martio.*

MArs ignave Deûm Februoq; inviſior ipſo:
Ecquæ fæmineâ gloria parta nece eſt?
Sic tamen ingeniũ eſt: Triſti ſua funera Menſi
*Anna* tuo debet, debet Eliza tuo.
I. SCVDAMORE *è Coll, Mag. Eq. aur. fil.*

INfandum *Regina iubes renovare dolorem*
Verè hoc, dixiſſet tempore, Virgilius;
Primum quem peperit natũ cum prima ſecuta eſt,
Plus quam maternum eſt hoc pietatis opus;

Cum soror & conjux moreris, cùm filia Regis
Et tria sunt tumulo regna sepulta tuo.
M. BERKLEY *Armig. ex Æde Chr. in Art. B.*

IVno obiit, germana Jovis, Jovis inclyta conjux
Eheu quis credat numina posse mori?
Nunc imbre effuso ploret Junonius Aer;
Junonem proprio Lilia lacte fleant.
Deliciæq; Deæ vos Argi lumina centum,
Certatim lachrymis busta rigate pijs.
Sic non usta rogo, fletu sed mersa jacebit:
Nec cineres tantum, flumen & urna capit.
Æ. FRAVNCIS *Art. Bac. ex Æde Chr.*

Ποτμὸς ἄποτμος ἀὶ ἀὶ, καὶ ὄιμοι δύσμορα μοῖρα
Θήλυσιν ἀντιθέαις οὔδετι φειδομένη!
Ποίην ὑμὰ βελῆ ἄιδι προίαψε γυναῖκα!
Ποίη ἄνασσα λιπὲν νῦν φαὸς ἠελίου!
Αγλία δεσπόνην ἀπόλεσπ' ἐκκλησία τ' ἔρκος
Θρησκεῖ ἀντίτυπον τ' ἔξοχα μοῦσα τρόφον:
Τίς σε τύχη κακύμητις ἀφείλετο, διὰ γυναίκων,
Εκτάσε τίς κακίη, τίς φθόνος ἠνέμεσις!
Πάυετε δακρυχέειν δ' ἄρα μοῦσαι, πάυετε πενθεῖν
Αγλοι ἐτ' οὐκ ἔπεσεν παίδικα σφωΐτερα;
Σώματα σῆμα σκέπει, γαῖαντ' ἐπὶ γαῖ ἀνάλυψεν
οὐρανὸν οὐράνιον τοι ἢ μέρος κατέχει·
Καὶ ἄῤῥητα ἀεὶ νεφελαῖς ἐνὶ χάρματα χαίρει,
Δόξα δὲ καὶ ἀρετὴ ζήσει ἐπ' ὀψιγονοῖς.
Ιάκωβος Βαμφείλδιος ὁ Αλβάνιος.

*Quòd mense Martis sit mortua.*

INteriit Regina tuis (Gradive) calendis,
Hinc reor ingressu diceris esse *Leo*,

Quod

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Quod obijt die Martis.*

Ore Venus fueras; Venerem Mars diligit almam;
Mirum ergò est Martis quòd mòriare die.

Phœbus *Iacobus*, Phœbe fuit *Anna* Britannis
Illustrans radijs inferiora suis.
Hanc igitur decuit superas ascendere sedes,
Debetur Phœbe cœlicus ille locus.

GVIL. STRODE *Eq aur. fil. Coll. Exon.*

ANglia ab Angelicis olim sic dicta Britannis
Eheu veste sedet squallida tota nigrâ
*Anna* jacet, patrię Princeps & gẽma; quid vltra?
In cineres vestras vertite delicias.
Scilicet ærumnis non est lusisse decorum,
Nec patitur placidos cura dolórq; modos.

G. WREY *Eq fil. & vnigen. Coll. Exon.*

SIm licet amotus vobis (Academica pubes)
Corpore; mens una est, nec procul esse potest
Vnanimis vestrum sequor ipse dolore dolorem,
Nec vestro minor est iste dolore dolor.
Ergo mihi liceat querulas fleuisse camœnas,
Nec pudeat lachrymis vos maduisse meis.
Ergo mihi liceat lachrymas junxisse querelis:
*Anna*, dabo in cineres ultima dona tuos.

F. FINCH, *Gen. olim ex Aula Magd.*

Sic eat. Et mortem decet hâc ratione dolere
Reginæ, plangi ſic placet *Annæ* tibi.
Sic, licet omnis humus redivivâ fronde vireſcat:
Sic, licet ora gerat ſplendidiora polus:
Sic, licet & tempus ſoletur gratius anni:
Sic, licet applaudant omnia læta ſibi;
Non ſint læta tamen *Iacobi* regna, ſed omni
Opponant mundi ſe tria ſceptra choro.
Tellus quum niteat, ſint hæc atrata dolore:
Sordida, quum cœlum rideat, illa gemant.
Terris nam talis non eſt Regina ſuperſtes;
Et vix cœlorum munere talis erit.

GVIL. HANDCOCK *armig. fil. nat. max. Artium Bacch. C.C.C.*

Vere fruiſ (Britonûm roſa ſis licet, *Annæ*) vetaris:
Cur? Deus æterno dat tibi vere frui.

*Phœbe*, quæ Britonûm radiabat luce per orbem,
Noſtrum tranſcendit, deſeruitq; polum.
Sed quoniam precibus non eſt revocabilis ullis:
Tardus ad Occaſum (*Phœbe*) precamur, eas.

NIC. VENABLES *arm. f. nat. max. Coll. Oriel.*

Quid? num fata vacant noſtris illudere rebus?
Seu potiùs Manes optima quæq; juvant?
En cecidit Regina Deis deflenda: ſed illam
Inter cœlicolas gaudia ſumma manent.

Nos

Nos miseri gemmâ tantâ spoliamur inulti
Cui similem posthac tempora nulla dabunt.

I. HVGGEFORD *arm. fil. primo-gen. Coll. Oxi.*

*Quod unius Reginæ morte, tres absumuntur.*

Sæuitum satis est; atq; uno in funere funus
Heu video triplex (Diva beata) tuum.
Sic visum est, anglāq; simul, Cimbrāq;, Scotāq;,
Mors tibi, tres unâ tollere strage deas.

Io. TREGONWELL *Armigeri filius natu Max. ex Aula Late-port.*

*De eo quòd vere obiit.*

VEre novo moreris, vitam invitantibus auris,
Ævum quum mereat quælibet hora suum.
Quàm facile est cuivis misero contemnere vitam?
Vitæ aut capturo gaudia nulla suæ?
Sic plebs projiciant animas. Sed credidit illa,
* Cum superesse iuvet, dulcius esse mori.
Æternas nobis hyemes, noctesq; relinquens,
Vitaq; perpetuus nunc cataclysmus erit.

* *Optimum tum mori cum maximè iuvat vivere. Sen.*

POTTERVS RIVERS *Arm. fil. nat. max. C. C. C.*

OMnia vere virent; sed jam color omnibus ater:
Ver generat flores: FLOS tamen iste perit
Vere canūt volucres: resonat jam plāctibus æ-
Vere cadūt fluctus; jam dolor auget Aquas. (ther:

Me miſerum! ô quantum mutantur tempora? ver fit
Bruma: nec hoc *habus*, DIA ſed ANNA facit.

NIC. ARNOLD *Arm. fil. nat. max. ex Aula Albana.*

PRoh dolor! extincta eſt tandem pars magna Britanni
Splendoris, terræ impatiens Regina reliquit
Terras, quam divina tulit ſuper æthera virtus:
Uſq; adeò è terris in cœlum cœlica vexit,
Et ſua, ſeq; ſuo cœleſti reddidit orbi.
In lachrymas ergò reſoluta Britannia ploret,
Totaq; condoleat tantum ſibi lumen ademptum:
Natis quippe ſuis extincta eſt publica mater,
At ſtatim exorta eſt communis diva Britannis,
Cujus pars melior tumulatur in æthere ſummo,
Tamq; altè cœlos aſcendit, quam prius altè
Deſcendit, rurſus patriæ facta incola primæ:
Deterior verò terrenum eſt nacta ſepulchrum.
Utraq; pars ſacrum templum tenet: illa ſupremum
Occupat, inferius retinet pars altera templum.
Ite ergo in lacrymas toti, nec flete ſepultam,
Sed vobis, Britones, ablatam flete parentem.

GVIL. STRATFORD, *ex Aula Sanctæ Mariæ Generoſus.*

CUr mœſtas populus voces effundit ab imo
Pectore? cur lacrymas angulus omnis habet?
Non fera mors *Annam* rapuit, ſed regna *Iacobi*
Splendida contemnens, jam meliora tenet.

*Aliud*

*Aliud carmen.*

Hùc hùc *Pierides*, hùc hùc *Heliconis* Alumnæ
Ferte pedes, mœstos & resonate modos.
Tange lyram digitis auratam *Phœbe* peritis,
Fataq; formosæ tristia plange deæ.
Insignis patulum notâ pietate per orbem
*Anna* jacet, patriæ fama decusq; suæ.
Claditur in tumulo, cuius memorabile nomen
Vix in diffuso claudier orbe potest.

S. COSTON *ex Æde Christi.*

*Prosopopœïa.*

MAgna potensq: simul quorsũ Regina pararet
Carmina? lugubres Cur mea Musa modos?
Scilicet, est vnũ modò tota hæc insula Carmẽ
Funereum; lacrymas quæ maris instar habet.

*Ad* Carolum *Principem Carmen consolatorium.*

In terris regnum tenuit Regina Caducum,
Æternum Cœlis, En diadema tenet.
Qnid luges? non est hæc permutatio Glauci,
Cœlica pro presso jam regit astra solo.

IO. MADDOCKES, *Art. Bac. Col. Ies. Socius.*

INnocuis ludis quæ festa dicâre priores,
Heù vidua, in lacrymas, Anglia verte, dies.
Heù nimis infœlix! quam talia fata morantur,
Occidit en capitis nunc diadema tui!

Et

Et quàm lugubris dolor eſt diademate nudum,
Orbatumq; ſuo triſte videre caput?
Non opus ut vultus ego pingam (ô *Anna*) ſerenos,
Virtutes quiſquis noverit, ora videt:
Et licet æthereas petiiſti mortua, ſedes,
Hæc tamen in terris vivet imago, tui.
Quis tenet, ô Dani, quis te, Germania, luctus?
Quem fontem infœlix Rhene doloris habes?
Attoniti ſtant, credo, ſtupent; & quiſq; putabit
*Iunonem* ſuperum deſeruiſſe *Iovem*;
Et traxiſſe tuam ſuprema ad ſydera formam,
Ut fieres tanti regia ſponſa Dei.
Sed nos flagrantis dum vidimus ora Cometæ,
(Ora inquam) ſicco non metuenda ſinu:)
Triſte aliquid flammas caudatas ferre timemus,
Et nunc ſigna necis cernimus eſſe tuæ.
Sed non, ſæva, tui durabant, ſtella, vapores,
Ut videas dominæ funera mœſta tuæ.
Nec mirum eſt: vultu quo talia fata videres?
Dum cœlum in lacrymas ſolvitur, ipſa peris.

GVIL. KING *Art. Bacc. ex Æde Chriſti.*

QVo fleat audito, Fatumq;, & *Iupiter* ipſe.
Huc accerſe tibi, mœſta Camæna, melos;
Hinc elegos ſume, ut cum ſis lugubriter amẽs,
Et Fatum, & tecum *Iupiter* ipſe fremat:
Si Furor, aut Fletus, Fative, *Iovi*ſq; piarent,
(*Anna*) tot ex uno, Funera facta, tuo:
Sed furor hic, Fletus noſter ne provocet iras;
Incipe ſupplicibus, mœſta Camæna, modis:

Sis

Sis bonus ô fælixq; tuis; noſtroq; Parenti
Sis Pater, & verè *Iupiter* eſto tuis:
Sis bonus ô fælixq; tuis; nec *Carolus* oro,
Te *Ganymedæum* ſentiat eſſe *Iovem.*
Atq; jube, ut Fatum, quæ nos optavimus *Annæ*
Sæcula, detq; ſeni, det juveniq; Tuo.

*Precatio ad Deum.*

Quam malè compoſitæ res noſtræ! ſumma ruinæ,
Subditaq; innumeris caſibus ima jacent:
Quicquid erat pulchrum, ſummũ, *Iove* deniq; dignũ,
Hæc, Fortuna, tibi, prodiga, cuncta dedit.
Formam, virtutem, regnum: Mortale quid ultra?
Sed mortale tibi terminus eſſe nequit:
Immortale tibi ſtudium, regnumq; perenne,
Hoc meditans vitâ, mortua ſemper habes.

PHIL. KING *Art. Bacc. ex Æde Chriſti.*

NOn ſtrangulabis clauſus ulteriùs dolor,
Stupere nolo longiùs, vocem eruam
Vel jecore rupto, mundus atq; æther novis
Pulſi querelis fletuum teſtes erunt.
Tuâ quis adeò ferreus, quis tam ferus
Vt morte ſe compeſcat, & non eliquet
Dignas Tibullo nænias? Quis non comas
Radice ſumma vellet, ut vulſis tua
Sepulchra ſpargat? iſta calvities caput
Quod non decebit? Quãdò ſemidea Anglię
Regina fato cedit & iniquis cadit
Sideribus, aſtris quam imperare oportuit:

Extincta cum sit illa, quam sæpè intuens
Gẽmis nitentẽ, at mente gemmatâ magis,
Solem, vel ipsa potiùs incessu gravi
Terris moveri cuncta stellata agmina
Totumq; cœlum credidi, quis non diem
Desperat ortum? quisve non meritò timet
Ne jam solutâ corruant cœli undiq;
Cõpage mundi, & pristinũ repetant chaos?
Adhucne soles occidunt, redeunt adhuc?
Diesq; noctem sequitur? an *Phœbe* sua
Amissa reparat cornua & radios adhùc
Revocat priores, *Anna* non revocat suos?
Sed illa toto potiùs incutere appetens
Cœlo pudorem solis extinguet jubar
Majore radio, & alterũ haud luscо ampliùs
Orbi addit oculum, sive stellifero velit
Fulgere cælo, sive per sphæram novam
Accedet ipsis alter Astronomis labor.
Sic tu, Beata, dummodò singultibus
Tunsisq; palmis morte sublatam insciâ
Querimur furentes, lacteam calcas viam.
Rideſq; trunci libera exequias rui.

Ios. Brown *ex Æde Christi Baceb.*

QVis poterit lachrymis avidos satiare dolores,
Aut tantâ dignas effundere clade querelas?
Non nunc privatum funus vulgare dolorem
Postulat, huic uni lachrymas daret omnis ocellus:
*Annam* immaturo rapuerunt funere fata.
Ergone tam nullas præstant medicamina vires?
Afferat an nullas sacras *Epidaurius* herbas,

Quę

Quæ celeres fati poſſint inhibere volatus?
Heu; fatis regimur, fatis parere neceſſe eſt:
Lanificę nullo flectuntur thure ſorores,
Quin durâ revoluta manu *Lacheſis* ſua ſervat
Fatalis decreta colus: at ſtamina, iniqua
Iam non diſſecuit lethali, regia, cultro,
Sed rupit properante manu: ſic gaudia noſtra
Contrahit, & luctus æternum extendit in ævum.

GVIL. PRYSE *ex* ÆDE *Chriſti. Arm. fil. nat. max.*

ELoquar, an plorem dubito; plorare paratum eſt,
Vix vacat effari, tamē hæc duo tēpora poſcunt;
Impediunt lachrymæ, pietas quæ dicere mādat,
Obruit attonitum pectus dolor, intus obortus
Devorat ipſe dolor lachrymas, voceſq; dolentis.
Sic ſiluiſſe magis, quàm non lacrymaſſe, modeſtū eſt
Æquiùs & chartæ eſt, madidis quàm parcere ocellis.
Forſitan at vitium dolor eſt, pietaſq; nefanda,
Cum tempus voces peteret, doluiſſe ſilendo.
Flere decet certè, decet hoc quoq; dicere utrumq;
Officium Muſis decet expreſſiſſe gementes.
Quare aliquid ſcribam, at lachrymas & funera tantū,
In charta fletus, & pulla litura loquentur
Sic libet uſq; queri, libet indulgere dolori.
Quippe piâ nobis tantum de Principe reſtat
Nomen, pars melior cœlo terræq; cadaver.
Verùm lugubres abrumpito Muſa querelas,
Siſte pedes, lachrymis mandabo cætera juſtis
Proferat his, cuicunq; placet, majora: licebit;

Scribat quanta placent, quæ poſſit, ſingula ſcribat:
Non nego, rectè ſit, tamen his majora tacebit:
Curtum verba ſonant, Princeps mutilata relucet:
De qua qui tacet, ille nihil: ſed qui nihil inquit,
Dicendo nihil hoc, ſatis, imò cuncta loquetur:
Exprimet ille *Annam*, qui vel nihil exprimit *Annam*.

R. CLOPTON *Col. Corp. Chr. in Art. Bacch.*

*De Menſe, die, horâ mortis Reginæ:*

ANglia belligeri nuper fera prælia *Martis*
Crediderat populis imminuiſſe ſuis.
Non timor is vanus, qui nobis ſuſtulit *Annam*
Menſis erat Martis, Martis & ille dies.
Inq; *Horâ*, tantam poterat quæ ferre ruinam,
* Martis habet *Mortis*, ſtella cruenta, *domum*.
Atq; ita fit pulvis, ſed Martius, *Anna*: nec alter
Debebat fieri tam pretioſa caro.

* *Mars erat in ſeptimâ horoſcopi inter horas tertiam & quartam antemeridianas ſecundi diei Martii, quo tempore expiravit Regina.*

Io. COOTH *in Art. Bacch. Nov. Coll. Socius.*

ANNA jacet; Regina jacet. Quin Pſittace rauco
Gutture *Pierium* nunc modulare melos.
Nunc Corvus vates, nunc pica poëtria, num te
χαῖρε docet venter, non docet αἰ pietas?
Non calamis, oculis noſter dolor effluit udis;
Nullaq; dum ſcribo carmina, multa fleo.

GVALT. STONEHOVSE *Art. Bacch. Coll. Magd. Socius.*

Pre-

*Prosopopœïa ad* Iacobum *maritum superstitem.*

SIs marmor nostro Conjux, *Iacobe*, sepulchro,
Dures *ipse* diu, sim licet *ipsa*, cinis.

GEORG. BEARD, *in Art. Bacch. & Coll. Ex. Soc.*

*Ad Defunctam.*

VErsicolor dum ver decoraret gramine campos
Redderet & pingues fertilis imber agros;
Funereis gaudet cyparissis Anglia cingi,
ALBION in fato non erit ALBA tuo.

*Ad Angliam, de Die, & Mense, in quo obiit.*

Martius hic, nostri mensis fuit ultimus anni,
Ultima sic vitæ lux fuit illa tuæ:
Vix *cum fine bonum convertitur* (Anglia) dum sic,
Labitur infælix ANNVS, & ANNA, simul.

*Finis & bonum convertuntur. Arist.*

*In eundem in quo etiam passus est Christus.*

Si modo qui tecum moriatur Christe, resurget
Tecum, spem Princeps vnde resurgat, habet.

*In Cometam propè signum virginis apparentem.*

FÆMINEUM funus quis prædixisse negaret,
Cum vicinus erat (VIRGO) Cometa tibi?

Ἰκαλῶς νηστεύουσα, τροφὴν λείπουσα τε γαῖας,
Πάσχα μετ' ἀθανάτου ἐθίει Ἄννα Θεοῦ.

IO. DOD *in Artib. Bacc. Coll. Exon. Prob.*

*Alloquitur* Anna *Regina nunc ἐν ἀγίοις Anglos & alios nuper ſuos ſubditos.*

CLaudite jam rivos, lacrymas mea buſta biberũt
Innumeras, cineres jam maduêre nimis;
Quid proſunt fletus, gemitus, ſuſpiria? prodeſt
Tundere quid palmis pectora veſtra piis?
Symbola ſunt (fateor) veri vera iſta doloris
Aſt ego dum pſallo, vos lacrymare veto;
Me ter fœlicem conjux & regia proles
Fecerunt nuper, nunc ea veſtra bona;
Iſtis præſidiis fœlices eſtis, eorum
Sed vice, ſacra mihi & magna corona datur.

GVIL. WHYDDON *Eq. fil. natu maximus, Exon. Coll.*

DEfunctam & canimus Deam, & dolemus:
Quam, proh flebile! triſtibus Britannis
Atrox abſtulerit graviſq; morbus,
Indulgenſq ſibi nimis, nec illum
Humor nutrierat, cruorve, nullus
Unquam pabula tam beata novit,
Nullus tam placidum, piumq; corpus,
Si corpus potuit tuum vocari
In quo quicquid erat, fuitq; multum,
Virtutis meruit, deditq; nomen.
O ſi ſæcula tot Deus dediſſet
Quot dotes dederat pias, tuumq;
Æternis animum beaſſet annis:

Nec

Nec contagio, triſtiorq; labes
Sacras inſinuaſſet in medullas,
Nec regalia ſauciaſſet ora
Atrox heù nimiùm graviſq; morbus.
Sed nunc Diva vale; canenda ſacris
Atq; in perpetuum dolenda Muſis.
Nos triſti calamo, pióq; planctu
Defunctã & canimus Deam, & dolemus:
Virtutis memores, tuæq; vitæ
Hoc unum cineri damus tributum.

LAMBERTVS OSBOLSTON *Ædis Chriſti Bacch. Artis.*

Ὁπόσαι παρ' ἱποκρήνῃ
Ἱεραὶ καθῆσθε Μοῦσαι,
Ἡδύπνοοι ἀοιδαῖς,
Μεγάλου Διὸς θύγατρες
Νῦν δεῦτε, κἀπὶ τύμβῳ
Εὐκόλπου ἡρωΐνης
Σπένδεσθε δάκρυ ὑγρὰ.
Παῦροι ἐϋθρόνου γὰρ,
Λίθοι κρατοῦσιν Ἄννης
Τὸ θνητὸν· (ἀλλὰ ψυχὴ
Ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει)
Στοναχαὶ, ἄχος, μέριμναι,
Κήδη, γόοι, ὀδυρμοὶ,
Λύπαι τ' φιλοθρηνοι
Οὐκ ὄλβιον, τάλαν δὲ
Πρὸς Ἄλβιον μολοῦσιν
Βασιλῆος ὅστι τέκνον,
Βασιλῆος ἢ ἀδελφὴ,
Βασιλῆος ἢ ἄκοιτις.

Βασι-

Βασιλῆος ἄλλη μήτης
Ὀλίζη, δαιθῦσα, κιὴ
Κόνις ὀς ἐων λυθέν περ.
Ἐρέω σε πότνι' Ἄννα
Ἀραῖα τ' Ῥρετάνναν.
Διὰ πλείονος ἢ μύνη
Ἐν τῷ τάφῳ κἀδύλῃ.
Οὔπω ἐλέυσεθ' ὁδὸν
Σοὶ σύζυγος, θανόνθ'
Ἰάχω ζος· ἔνθα μακρὸν
Βιοτεύσῃ ἀλλ' ἀϊῶνα.
Δώσει θεὸς δ' ὠπῶ
Γέρας ἄσπετον τὸ γῦρας.

Περὶ τῆ Κομήτη περὶ μεταθείσης τ'
βασιλίσσης πρασμόνη.

Ἀχέσγλα λείπων, κὴ σιδηρέας πύλας
Ψυχοφθόρσιο τ' καὶ αχθονίε Διὸς,
Ταλίως ἀναίδων ἐκ νεκρῶν ἀνίσασο
Πτολεμαΐε δῖε, κῦδος ἀσεβόλων μέγα.
Σὲς χρεία δῆτ' τ' ὄπτεσθαι, πιῦς
Τέχνης Ἐφάνθη ὢν ὁρίζοσι' ἀστίως
Ἡμιθέῳ, ἀυσὰς, ὥσπερ ἀκμάτε πυρὸς
Φλοσάς ἐξελάων, ἀστραπῶν, ὀπωπὸς,
Δεῖνος Κομήτης, ὕλιος, πλυπλανὴς·
Οὐ μέσεθος, ἦλθ μακρὸτηθ', ὕψος, βάθος,
Πλάτης τε πάντες ἐι σκοτῦσιες ὕφανον
Ἔγνωσαν· ἀλλὰ τί πρυσόμαιν' ἔλλαθεν
Ἀπωλας, (ὦ μαΐαία ἀσεβόλων τέχνη.)
Πάσιδοσις ἀφιόνων πεῖρα δεικνύῃ, ὅτι
ΟΥΔΕΙΣ ΚΟΜΗΤΗΣ ΟΣΤΙΣ ΟΥ ΚΑΚΟΝ ΦΕΡΕΙ.

Ἀλίξανδρος ὁ Γίλλος τ' Τεχνῶν Βακχολ.
ὰμ τ' Τριάδος σωτῆρίε.

Quan-

## *Annæ Funebria Sacra.*

QVantos urna tegis manes, quâ condita regem
Quæ genuit, regis filia, nupta, ſoror?
Hęc laudum ſeries, hic *Annam* currus honorũ
Quadrijugus, [a] roſeo junctus in [a] axe, vehit:
Cui fera magnanimi præbentes terga [b] leones,
Faucibus indomitis [c] aurea lora trahunt:
Hinc [d] lyra diſparibus præbet ſolamina chordis,
Quà binos orbes [d] lilia trina replent,
Hic externus honos, virtus nitet intus; amicam
Hæc ſuperis, celebrem præſtitit ille viris.
Ergone virtutes tumulo conduntur? honorum
Vna dies tenebris abdidit omne decus?
Scilicet immenſa eſt, finemq; potentia mortis
Non habet, & mundum ferrea fata premunt.
Fata tamen cedant, quæ tantùm hæc infera cogunt,
Corporis & lethum jus habet, haud animi.

[a] Stemate regio, ab Henrico ſep. in quo roſæ ſunt unitæ, ducto.
[b] Tres, Angliæ unus, Scotiæ inſignia.
[c] Qualia Scotiæ inſignia ambire videntur.
[d] Hiberniæ, & Franciæ inſignia.

T. Norwood *Art. Bac. C. C. C.*

TAm cito crudeles rupiſtis ſtamina Parcæ
Stamina lanifica tam bene ducta colo?
Num regina umbris crudelibus occubat, annos
Quæ vel Neſtoreos vincere digna fuit?
At caligantem nigrâ formidine lucum
Effugit, cepit regia magna Iouis.

T. Cæsar *Art. Bac. è Coll. Omn. Anim.*

REgia corporeis vinclis & mole ſoluta,
Vmbra per æthereas dum petit aſtra plagas;

Turmatim Angelicæ certant properare cohortes,
Præſtet ut officium ſedula turba ſuum.
Huc ſimul auratas deflectit Phœbus habenas,
Et facilem divæ ſternit ad aſtra viam.
Panduntur magno interea cum murmure valvæ,
Cœlicolûm ad portas tota caterva ruit,
Hoſpitio exceptura Deam, quæ numine multo
Stipata ad ſuperas tendit anhela domos.
Ventum erat ad limen, patrios ſtupet illa penates,
Intrat & auguſtos, regia tecta, lares.
Cœlica tum demum valvis celebrantur apertis
Atria, quæ inſolito pondere preſſa gemunt.
Iamq; novum certant venerari numina numen,
Gratantúrq; novæ Diiq; Deæq; Deæ.
Obvia divinæ tum fertur Eliza ſorori
Regina, ac tenui talia voce dedit;
Salve vera Jovis proles, digniſſima noſtro
Diva polo, & generis gloria ſumma tui:
Aggredere, atq; vnà communia percipe nobis
Gaudia, præteritis en tibi meta malis.
Sic effata. Simul lachrymas deterſit ocellis
Omnipotens, luctûs hîc tibi finis erit,
Néve creent (dixit) tibi regna amiſſa dolorem,
En nova regna tibi, ſceptra capeſſe, dedi.

*Quod Menſe Martio (quo & Regina Angliæ renunciata eſt) mortua ſit.*

Mars tibi regna *dedit* Britonum, Mars *abſtulit*, idem
*Principium* regni, atq; *exitus* ipſe tui.
Inchoat hic regnum Tibi, nobis inchoat annum,
*Annæ*; tibi regnum ſuſtulit, *aſtra* dedit.

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Quod & Martio menſe, & Martii die obierit.*

Diceris hinc, *Mavors*, quaſi *vertens magna*, Britanni
Nôrunt quàm nomen congruat hocce tibi.
Scilicet in prædam ceſſit tibi nuper * *Eliza*,
Nec ſatis hoc; *Annam* (Mars furibunde) petis;
Et ruis in Britones duplicatis viribus idem,
*Martius* hinc *menſis*, *Martis* & inde dies.

* Elizab. Regina, quæ & Menſe Martio obijt.

Vnica diſiungit Martem mortémq; minuta
Litera; *Mors Marti* quàm prope juncta, liquet.

G. Scobble *Art. Bac. è Coll. Exon.*

DOlore pullatas tot inter literas,
Devirginata, pallidas mutat genas,
Nigramq; charta vel libens guttam bibit,
Dominum piè referre ſe cupiens ſuum.
Quamvis enim prolixa nobis ecloga
Non *flumina* in *luctus* vel in *ſuſpiria*
Immurmurantes plurimùm *ventos* citet:
Quamuis nec *iraſcatur*, & *fatis minax*,
*Præceps* anhela, *interrogatiuncula*:
Numeriſq; ſingulis *Lugubre Eheu* datum:
Nec luſitante *Syllabarum* machina
*Anxiè ineptum Anagramma* producat ſtylus,
Aut litteræ minutam captiunculam;
Sunt, ſunt *doloris ſacra*, quæ malunt tegi,
Queis pectus accenſum rapit noſtrum tua
Morum *decora*, & innocens *iucunditas*,

Frontis verendo temperata, numine,
Et candor indolis plebeiæ nescius;
Quibus diu laboravit. *Morbisq; adaucta sanctitas*, quâ sæpius
Tu sæpiusq; *contigisti numina*,
Cœlis *diu propinqua*, nec minus Jovi.
Non evolas *Astræa*! te mundi plaga
Duplex adhuc tenet, *Iovi* & *terris* ades,
Partita liberos *Iovi* & *terræ* tuos;
Carolus & Elizabetha. *Dolent* euntem * *isti*, * *Alter excipit*, tui
Henricus. Et nos supremum amare frigus cogimur.

T. Gorstelow. *A.B.C.C.C.*

*Ad* Iacobum *Regem Sereniss.* & Carolum *illustrissimum Principem.*

QVid (Rex) uxorem desles? quid (*Carole*) matrem?
Quid premitis madidas mœstus uterq; genas?

*Ad Regem.*

Inter inexpletam, precor, ut placata querelam
Vxori similem dent tibi fata nurum;
Conjugis assuetos ut in ejus imagine vultus
Spectes, & regni spem seriemq; tui.

*Ad* Carolum *Principem.*

Et Deus uxorem tibi det pro matre fidelem,
Inq; hujus faustam surroget ille vicem.
Sic sit uterq; novâ lætatus sorte; nepotes
Rex foveat, gnati pignora chara sui.

G. Hayes *ex A. Magd. in Art. Bac.*

Egit

EGit Chriſte tuam cauſam dum vixerat, ægra
Commiſit cauſam ſe quoq; Chriſte tibi.
Quid ſupereſt niſi quod vivat poſt fata ſuperſtes,
Poſt,& per fatum,juſta ſuperſtes erit.

*In Cometam nuper apparentem.*

Chriſtum ſtella Deum rutilans monſtravit ad ortum
Jactat ad interitum te tua ſtella Deam.
Vtraq; lux oriens,oh ſi non(*Anna*) fuiſſet
Ortus in occaſum nuntius ille tuum.

G. HAYMAN *in Art. Bac. Coll. Exon.*

EHeù,triſtitiam,ægritudinemq;
Mœroremq; gravem, moleſtiamq;
Et quicquid fuerit doloris uſquam,
Pectus ſuggere,flebileſq; planctus.
Et tu lingua,loqui ſinant dolores
Si tanti miſeram,tacere noli.
Et vos turgiduli rubeti ocelli
Flendo,& ſint lacrymæ meæ Perennes.
Nam crudelia principi rapaces
Jnjecêre manus,eumq; nuper
Nobis invida ſuſtulere fata.
Et tanquàm hoc levius malum fuiſſet,
Nec factos miſeros,ſatiſq; læſos
Nos tanti nece principis putarent;
Jpſam principis abſtulêre Matrem,
Quâcum plurima ſuſtulere chara,
At verò omnibus attulere nobis,
Eheù,triſtitiam,ægritudinemq;
Mœroremq; gravem moleſtiamq;
Et quicquid fuerit doloris uſquam.

T. MAN *in Art. Bac. Nov. Coll. Soc.*

A h crudele nefas! ergò Hæc ſuprema Britannæ,
N obilitas gentis, nunquam revocanda, receſſit?
N ùm vivet deformis Arabs? num decolor Indus
A bſolvet placidos ad ſæcula Neſtoris annos?
R eginam mala fata ferent? At vivet, & annis
E ternis, Parcâ incaſſùm ringente, fruetur.
G loria ſemper erit; ſi quid Germania, ſi quid
I nſula Brutigenûm poſſit, vel Cimbrica tellus.
N atam Hæc te (Regina) ſuam; Germania matrem;
A nglica terra Deam vocat, æternumq; vocabit.

ALEX. FISSHER *Bac. Art. ex Aul. Magd.*

HEu miſeris Anglis duplex eſt cauſa dolendi
(Non fuit in luctus unica cauſa ſatis?)
*Anna* perit Regina, ſimul perit Anglia, ſaltem
Interiit nomen, terra Britanna, tuum.
Noſtra repercuſſo radiabat lumine tellus,
Lumine Phœbeo lampadis, *Anna*, tuæ.
Lucida fax ſtygijs extincta eſt fontibus iſta,
Et noſtro jam nox incubat atra ſolo.
Anglia non ergo, ſed Scotia nomen habebit,
Nam ſubitò viſa eſt Anglia tota σκότος.
Siccine? jam fallor; non Anglis cauſa dolendi eſt,
Lætitiæ potius publica cauſa novæ.
*Vnio* nunc alia eſt: namq; unum, *Scotia*, nomen
Vtraque jam tellus convenienter habet.

GVLIEL. HAMPTON *in Art. Bac. ex Aul. Corv.*

*Ana.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Anagram.* {ANNA STVART REGINA. / *Nata vt ingens rara.*}

A tropos atra potes tantumne extinguere lume N?
N il *Annæ* prosit sua virtus, nil sua form A?
N il quod de proavis & origine Clara resurga T?
A h dura es sine jure (soror) sine legibus æ qu A
S icilicet indignum quum fœmina talis, amat V
T am digna intereat, tã pulchra decoraq; cumba T.
V ivens diva velùt sexus regina fuist I,
A ntires omnes, si tempore, si tulit ome N
R egnares anus (*Anna*) invíso fulmine Mago G
T artareo (Romane) tuo, sin astra tener E
R *ara* merebaris, fieriq; in sydere Phœbe N.
E t sic quæ fueras hic Anglica gloria, cœli S
G loria es Angelica, & fulgentis cœlitis insta R
I uno opibus, candore Venus, virtute Minerv A
N aturæ simul artis obis (flos unice) splendo R
A *nna* Britannorum, *Rara*, *Ingens*, occidis *Ann* A.

*Epitaphium.*

Strata sub hoc recubat candenti marmore Regis
Alma, venusta, nitens filia, sponsa, soror.
Anna quidem longos meruisti vivere in annos
Ni magè cum summo vivere digna Deo.
T. BASILL *Coll. Wad. Art. Bac.*

QVale Reginæ dabitur sepulchrum
Congruum tantæ? monumenta ferro?
Ære condemus? situs hæc sepulchra
Quàm citò rodit!

Plum-

Plumbeum nunquid tumulũ, aut petroſum
Ponimus? celat tumulus ſecundus
Gloriam; molles premit atq; primus
Principis artus.
Aſt premi talis nequeat venuſtas,
Nec tegi poſſit gelido ſepulchro
Gloriæ nomen: tegit vniverſum
undiq; mundum.
Ligneum quoddam levius ſepulchrum
Anne nos *Annæ* dabimus? ſed illud
Fœda conſumit caries: perenne
Quæro ſepulchrum.
Ergo *Muſarum* numeroſa turba
Principi noſtræ tumulum tulerunt
Jntegrum, nulli exitio patentem:
Ille perennis.
Invidæ *Quam* ſurripuere Parcæ
*Tres*, *novem* jam reſtituunt *Sorores*
Buſtulo, quod nec *Tua* facta celat
Nec premit oſſa.

T. PORTER *Art. Bac. Coll. Wad.*

REgum nata, Soror, Conjux, Materq; fuiſti:
Aſtra petenda: nihil Terra, quod addat, habet.

*Ad Movum De Libri Editione.*

Quò noſtræ lachrymæ? Livide flagitas.
Flendi præcipuum eſt jus Academicis
Vtriq; Albionis Nos oculi ſumus.

I. S. *Art. Bac. Ioannenſis.*

Eliſa.

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Elizabetha* tuis virtutibus Anglia fœlix,
Subire ſimile ſemper optavit jugum.
Annáq; pacifico ſuccedit juncta Jacobo
Virtute non illa, tamen imperio minor.
At ne Virgineo nimium læteris honore
Hanc celſiorem nomen Uxoris facit.
Hinc extincta manet, quam *Carolus* eximit ævo,
Et par Eliza, quæ tuas laudes refert.

T. P. *Bac. Art. Ioannenſis.*

ABſtulit una dies, ſponſam, natam, atq; ſororem
Regis: proh triſtis quam fuit illa dies.
Fallor; ſponſa, ſoror, Regis quoq; nata ferũtur
Ad cœlos: iô! læta ſit illa dies.

ROB. CHAVNLER *art. Bac. è Coll. Omn. Anim.*

FAta montoſis magè dura ſaxis,
Ah nimis multum rigidæ ſorores;
Nonne Reginæ potuiſtis almæ
Parcere Parcæ?
Cernitis mundi cecidiſſe ſtellam,
Cernitis noſtram cecidiſſe Lunam,
Ah nimis diræ nimium ſorores,
Dira minantes.
Nil poteſt ingens pietatis ardor?
Nil Dei prodeſt ſine fraude cultus?
Ah ferę nobis nimium ſorores
Dira minantes.

Tota gens juſtas reparet querelas,
Quiſq; robuſtos feriat lacertos,
Poſſe ſe dicant nimium haud dolere
Fata, Britanni.

Io. Lichfield *in Art. Bacc. è Coll. Exon.*

NAtales dum magna tuos, Regina, tuamque
Mens reputat vitam, tum mortẽ & cætera, neſcit
Unde tuum prima deducat origine numen.
Nam poſtquam viſum ſuperis conjungere in uno
Corpore tot dotes, animiq; inſignia celſi;
Divinis Divam voluere parentibus eſſe:
Nec potuit meliore loco; nam regibus orta
Quos genus illuſtres, & virtus propria fecit.
Sic natam tollit Divorum cura, futuram
Nempe Deam, atq; omni placitam virtute decorat.
Poſt ut ad ætatem venit creſcentibus annis
Quâ Regnum ſibi poſcit Amor, ſuadetq; jugales
Igne thoros digno viſum conſorte beare,
Quæſituſq; vir eſt; ſed quæ ſpes coniugis, *Anna*
Quem cupiat? cujus potuit præſtantia & ipſos
Rivales feciſſe Deos: clariſſimus orbe
Unus erat, cui nil Deus aut natura negarant:
Hoc non ulla fuit tam digna marita marito,
Nec fuit hac alius tam dignus conjuge conjux.
Hic datus, & junctis communes jure Coronæ.
His ſedit Regina thronis, ſublimior ipſa
Mente, nec in Terris quærens ſua regna, ſed altas
Spes animo, regnique fovens promiſſa futuri.
Et iam longa, mora eſt omnis, iam computat annos
Lenta

Lenta ſuos, ſeniumq; putat quod funera mallet.
Tum terram pertæſa, Deos affata querelis;
Heu quæ prima gravi jam ſolvet corpore mentem
Hora meam? quæ prima dabit ſine fæcibus iſtis
Æthereas habitare domos, cæloq; potiri?
Ætas ipſa vocat, magnis inimica ſenectus
Eſt animis: populo vixi, vixiq; marito
Jam ſatis, ad regni moderamen ſufficit unus.
Hæc audita Deis: cœlorum facta poteſtas
Protinus, ingratâ Terræ ſtatione relictâ.
Non illam immites Parcæ, quæ ſtamine rupto
Cunctantes torquent animas, & corpore trudunt
Invitam juſſêre mori; ſed præſcia Fati
Quà via per ſummi virtutibus aſpera montis
In cœlum, aſcendit properatis paſſibus; impar
Ni meritis evecta ſuis, comitumq; favore.
Ut primum intravit limen, cœliq; patentes
Adſtitit ante fores, occurrit læta Deorum
Divarumq; cohors, & multâ voce ſalutant.
Illi Maieſtas aderat, tum mixta ſevero
Gratia, & à primâ coluit quas ritè juventâ
Virtutes: atq; his comitata per ampla viarum
Ambulat, intolitâ dum paſcit imagine cœli
Lumina, miraturque novi miracula mundi.
Hic atavos videt & proavos & utrumque parentem,
Queis datus i meritum fuerat virtutis Olympus:
Aſt alios inter fulgebat maximus Heros
Erricus, genetrix quem poſtquam vidit in alto
Sublimem ſolio, multis amplexibus illi
Blandita, & longùm vario ſermone loquuti.

Tandemq; ipſa ſibi ſedem delegit in Æthrâ
Et propriam fecit, quà uempe ſerenior Anglos.
Aſpicit; ipſa ſuam ut directo ſydere gentem
Poſſet, & oppoſiti vultus ſpectare mariti.

MERICVS CASAVBONVS *ex Æde Chriſti. Art. Bac.*

*Carmen conſolatorium.*
*In mortem ſereniſſimæ, & pientiſſimæ Reginæ* Annæ,
*Ad Pullatos Aulicos.*

Mœſta caterva redi, larvales exue vultus,
Exue funereas mœſta caterva togas:
Nec juvet ulteriùs tam pullalacerna, colorem
Sed mage qui deceat Funeris Hujus habe.
Hæc quam Atrata gemis, Divorum inſcribitur Albo.
Rectiùs Huic cineri convenit Alba cohors.
Ergò quid Amiſſam fletis Scoto-Anglo-Britanni?
*Anna* eadem (mutans nomina) Regna tenet;
Scotia deſerta eſt? Cœlorum Albania Regnum eſt;
Sancta ubi veſtitur candidiore ſtolâ.
Quod diuturna minùs ſit & Anglica vita, doletis?
En fructus Tanti Funeris! Angelica eſt;
Vixerat Illa minùs, mutâſſet ſic niſi Vitam,
Ni Loca mutâſſet, rexerat Illa minùs.

RIC. VAVGHAN *ex Æde Chriſti. Bac. Art.*

Eſſe Deos dicet cum pagina ſacra Monarchas;
Te Regina potens, quis periiſſe putet?

Dum

Dum vixti, Angligenis, tu Cynthia clara fuisti:
Quid mirum est ergo te petiisse polum?
Scilicet ille locus Lunæ nativus habetur:
Sedibus in superis convenit esse deam.

GVIL. WITHERS *in art. Bac. Nov. Col. Soc.*

TAm citò nos taxas? iterumq; imponis ocellis?
*Henrico* nondum, justa soluta, tuo:
Exhærêdasti natum Regina: sacratis
Ad cœlum emergens, Illius in lachrymis.
Fœlix, qui facilè veniens, jam Naviget, undâ:
Jnnumeras Hyadas stella recepta facit;
Nos tantùm hìc miseros lachrymoso funere Nautas
Naufraga queîs salso terra regenda salo.

Quòd crebris subitisq; fluat sic imbribus æther;
Inque nouos toties, Mensis Aprilis eat:
Nempè: recordantur quoties, tam triste sepulchrum:
Contineant lachrymas vix elementa, suas.

Quæ cœlis nuper grassata est stella supernis:
Tendenti huc Dominæ prætulit Illa facem.
I nunc, atq; audax iterùm dominare Cometa
Eripuit Sphęram, dignior *Annæ*, tuam.

*Ad Lectorem.*

Carmina si quid habent salsum, sapidumvè palato
Jn promptu causa est: Condieram lachrymis.
Sis quoq, tu vates, oculis Helicona refundens:
*Melpomenem* linguæ corde gerens *Nioben*.

Io. DOWGHTIE *in Art. Bac. Coll. Ænei Nas.*

# *Annæ Funebria Sacra.*

## *Ad magnam Britanniam.*

*In obitum serenissimæ Reginæ* Annæ, *quæ fato concessit ineunte vere.*

### *Anagram.*

{ *Anna* Regina. }
{ Anne ignara? }

ANne ignara, polus splendore (Britannia) tanto
Cur nitet? astra tuum surripuêre decus.
Anne ignara, novis campi sic floribus unde
Fragrant? terra tuam carpserat ante rosam.
Anne ignara, *Thetis* cur tantis æstuat undis?
* Fontes sunt lachrymis, & maria aucta tuis.
Anne ignara Annæ es, spoliata Britannia? cœlum;
Terra, mare exuviis sunt onerata tuis.

* Æstus maris majores fiunt tempore verno, & fontes augentur.

שיר קינה על מות
אנה המלכה:

אנה מלכה ואומול שלאת
מה זנה כשושנה:

אנה נובל ציצה נשל
על כן אבל כל צין גנה:

על צין רנן כו אל כנן
אנן שין שרש חנה:

PEREGR. KING *Art. Bacch. ex Aul. Magd.*

Non

NOn querimur triſtem ſic præluxiſſe Cometã,
Infauſti quamvis ominis iſte fuit.
Tam placidũ querimur cœlũ, cœnãq; *Thyeſtæ*
Poſcimus,& quicquid triſtius omen erat:
Nos Lunam volumus,Solemq;, diemq; negari,
Non ſatis in mortem eſt vnica ſtella tuam.
Regia ſic volui finiri fata, ruinam
Sentiat ut cœlum,totaq; terra, parem.

Dani te natam videre,angliq; ſepultam,
Hoſpitio fœlix utraq, terra tuo.
Læta tamen fato magis eſto Britannia,Divam
Jpſa dabas cœlo,quam dabat illa tibi.

*Anna* ſuum moriens ſic eſt affata *Iacobum*,
Sis memor ô populi, ſis memor ipſe mei.
Quotq; Deus noſtris horas detraxerat annis,
Annumeret fatis ſecla tot ille ruis.

ZOVCHEVS TOWNLEY *Bacch. Art. ex ade Chri.*

NOn mirum eſt, altam ſi nunc rupêre quietem
Rumores belli; ſceleris pertæſa receſſit
Arctoï pax *Anna* poli: quam Dania (noſtris
Nobilitata malis) Anglis dedit, & ſimul uno
Munere vita ſibi eſt tot compenſare parentum
Noſtrorum clades, largita nepotibus *Annam*.
Quæ pacem pro dote tulit, genteſque feroces
Mollîit, & dextras tandem commiſit inermes,
Fœderis æterni ſacriq; ligaminis inſtar.
Hanc igitur viſum eſt fatis, ut tutiùs omnes

Fœdere

Fædere ſublato poſſent committere terras,
Ad cœlum mandare prius. Sic Julia Magni
Deſponſata toro, compeſcuit æqua tumultus
Et patris & ſponſi, requiem mortalibus ægris
Allatura brevem: ſed poſtquam Julia terras
Mutaſſet cœlo, meditatur prœlia mundus.

Nunc ſuſpiria nulla ſentiantur,
Nec manus ſtomachum moleſta vexet,
Abſit funeris uſitata pompa:
Diſtinguat dolor hanc & inde noſtram
Iacturam ſciat imperitus hoſpes;
Vt quandò faciem videt doloris
Defunctæ citò ſuſpicetur *Annam*.
*Annam* Regibus editam vetuſtis,
Matrem principe conjugēq; dignā
Vulgaris dolor hanc profanat vrnā,
Guttas Heliadum meretur omnes,
Et totā *Nioben*, Biblimque totam.
Cui tandē exequias dat ille dignas,
Ambos cui dolor obſtinatus orbes
Efflevit lachrymis, doletq; cæcus.

Uſq; adeò nihil eſt quod pro te publica cœlum
Vota fatigarant, aſſiduęq; preces?
Quæ reges vidit patrem, fratremq;, virumq;,
Cur Natum Regem non videt illa ſuum?
Scilicet ut fælix mater, foret, & pia conjux
Vult ſibi filiolum, vult ſupereſſe virum.
Quæ, prior ad cælos cum jam properaverat inquit,
Vive tuo coniux tempore, vive meo.

GEORG. MORLEY *Art. Bacc. ex Æde Chriſti.*

Solvi-

SOlvimur in lacrymas, & quicquid vocis habemus
Omne gemit, quicquid pectoris, omne dolet.
Lumina langueſcũt, & dum non amplius *Illam*
Mœſta vident, iam non amplius illa vident.
Aures ſurdeſcunt, & dum non amplius *Illa*
Spirat, ad hęc ſpirat quælibet aura gravis.

Priſtina virtutis coluerunt ſæcula quicquid,
Et quicquid meruêre laudis:
Quicquid & antiqui tenuere inſtantia ſæcli.
Et quicquid reperêre maius,
Vixit in hâc una: jam poſtquam hæc una fit umbra,
Virtutis quoq; reſtat umbra.

*In Proverbium illud.* Nati ſapientiæ tardæ ſunt fidei.

Quod Nati ſapientiæ
Tardę ſint fidei, fidem
Amiſit hoc ſepulchro:
Hic nata en * *Sophiæ* jacet,
Quæ promptæ fidei fuit
Ad ſpiritum ſupremum.

* *Sophia Reginæ mater.*

GVIL. GRIFFITH *Iuriſta Nov. Coll. Socius.*

SEnſimus heù nimium vulgi Proverbia vera,
*Martius* ingreſſum, more Leonis, habet.
Mors vidit hanc, viſamq; petit, tollitq; petitam,
Mortis opus fuit hoc, non ſine Martis ope.

Menſe ſolent Martis celebrari Feſta dearum,
Si ritè obſervet Græcia jura patrum)

Nosq; duos celebrare dies hoc mense jubemur,
Mortis, *Elizæ*, tuq; mortis & *Annæ*, tuæ.

GVIL. THORNE *Nov. Coll. Socius & Civil.*

QUot periêre simul? quot funera funere in uno?
Quot juncta, hoc unũ corpora, marmor habet?
Anglia Reginam deflet, pia Dania natam,
Rex sponsam, matrem pignora chara patris.

Σῶμα ψυχῆς (veteres sic dicunt) σῆμα, sepulchrum
Nunc habet, alterius quod fuit ante, suum.

Hoc jacet in tumulo, quæ multis causa salutis,
Quæ nulli mortis fœmina, causa fuit.

Est animæ carcer corpus; cur flemus ademptam?
Libera nunc anima est, carcere, clausa prius.

Fœmineum pectus, sed erat tibi mascula virtus,
Mortem ergo deflent fœmina, masq; tuam.

GVLIEL. PHILIPS *Novi Coll. Socius, & civilista.*

HEnrico, tuta est hæc quondam terra Leone
*Annâ*, fœmineo candida flore, fuit:
Abstulit vna dies tamen hunc infausta Leonẽ,
Abstulit & Florem non minus atra dies.
Jam perfecta minus sunt regni insignia, jamq;
Signanda est solâ nostra moneta Cruce.
Nec tamen indignor. Leo Judæ suscipit Illum,
*Hanc*, Florem, cœli nunc paradisus habet.

I. LANGLEY *Coll. Nov. Civil.*

Jam

IAm nihil, o ſuperi querimur, quòd ad aſtra vocâſtis
Quæ melior fieri, donec mortalis agebat,
Nec major potuit: Cui nil natura reliquit,
Nec fortuna, quod ulterius dare poſſet, habebat;
Addere, quod ſolum potuêre, dedêre ſepulchrum.
Hæc apud ignaros ſi veri numinis eſſet,
Ipſa foret numen. ſi cultús neſcia veri
Regna gubernâſſet, vero coleretur & ipſa
Mortua jam cultu. Sed non aut barbara vota
Concipit, aut ſacros Romæ debebit honores.
Hic honor æternas aſcendet gratior umbras,
Quòd Dea non fieret, referent cum marmora cauſâ
Dîa fuit: quod ſancta foret, niſi ſancta fuiſſet.

I. DEANE *Iuriſt. & Nov. Coll. Soc.*

Parcite fælices, Reginæ, parcite manes;
Si mea difficilis, ſcribere, muſa neget;
Verſus dum meditor, lachrymas mihi ſuggerit; vndè
Sunt pia noſtra magis, carmina, docta minùs.

T. WILLIAMS *Armig. fil. vnicus. Coll. Exon.*

*In nuperam Reginæ mortem, & Regis morbum.*

ESt mihi cur doleam, rurſus cur læter: utrinq;
Ancipiti mea mens pondere preſſa ſtupet.
O ſi te memorem, frangor, Regina, dolore:
Sin te (Rex) cordis fibra jocoſa ſalit:
Expreſſit lachrymas *Annæ* mors dura: *Iacobi*
Reddita ſolatur, quæ dubia ante, ſalus.

## *Annæ Funebria Sacra.*

Vive *Iacobe* diu longæuos Neſtoris *Annos*:
*Annæ* dum interea mollitèr oſſa cubant.

I. WORTH. *Gen. Coll. Exon.*

*De obitu duorum peritiſſimorum in medicinâ Doctorum Oxonienſium quondam Profeſſ. Reg. Doctoris* Warneri, *&* D. Ayleworthi *circuter lugendum Reginæ obitum.*

SIc ſic flere decet, lachrymis effundere vitam;
Sic Medici lachrymas hi poſuêre ſuas:
*Ille* quòd Hanc vidit moritui ã, *Hic* morte peremptã;
Quòd curare queat neuter, uterq; perit.
Sic qui *Te* nequeant; proprios curare dolores
Non aliter, pro *Te* quàm moriendo, valent.

IOH. IESOPE *Armig. è Coll. Exon.*

SOla diu noſtris Phœnix regnavit in oris,
At dudum invenit dulcis Eliza parem.
Maſcula ſpectetur virtus, & Amazona jures,
Si Forma, & Pietas, *Anna Suſanna fuit.*

IACOBVS RIVERS *C. C. C. Armig. fil.*

*De Anno* 1619. *in quo ſuos Academia Oxon. in præmaturam Reginæ mortem Sereniſſ. Reg. dicavit Luctus: Chronogramma.*

*Fatum. Oxon.* LEthVM Regınæ DefLebItIs OXonIenſes:
Paremus; modo ſic placentur Numina, flemus.

HASTINGVS EWENS *Armig. fil. nat. max. Coll. Exon.*

Car

## *Annæ Funebria Sacra.*

CArmina digna velis tanto depromere buſto?
Defunctæ Genius ſit tibi Muſa, potes.

*De languido eius morbo.*

*Anagram.*

ANNA STVARTA
*Natura ſanat*

Quid Medicum accerſis? melius Natura medetur:
Hæc dirimet morbos, Arte labante, tuos.
Protrahit Ars ævum miſeris; Hæc candida curtat;
Nempe reluctanti ſola medela malo.
Sic hujus variis torti cruciatibus artus,
Nequicquam medica cum minuantur ope,
Naturam expectat; ſoluit *Natura* gravatam,
Et *ſuam* ſuperos miſit ad uſq; Polos.
Verum Hanc dum ſanat, Nobis Natura reliquit:
Sanandum nullâ flebile vulnus ope.

T. HVGHES *Armig. fil. nat. max. C. C. C.*

NOn mea Phœbeos imitetur Muſa poetas
Quos jubet in luctus (ANNA) coire tuos:
ANNA obiit Princeps! ſatis eſt dixiſſe; dolori
Verius incumbit, qui ſilet ore, ſuo.

R. SOVTHCOTTE *Eq. fil. Coll. Exon.*

*La mia Grandezza dal' Excelſo.*

OMnis *ab Excelſo* eſt *mea Gloria*, viva ſolebat
Dicere, dum terris degeret *Anna pia*.
Omnis *ad Excelſum* nunc *eius Gloria* ceſſit;
Sic *Eadem ſemper* mortua, viva, manet.

ROB. COPPIN *Eq. Aur. fil. nat. max. ex Æd. Chr.*

*Prosopopœia ad mortem.*

TErrarum dominos, quos pagina sacra vocavit,
Effigiemq; deus dixerit esse suam:
An tu mors, horum sacrato sanguine perstas,
Audaces nimium contemerare manus?
Esse quid hoc dicam; veteri quam more gigantum,
Impia, cœlesti, bella movere deo?

TOB. CAGE *Armig. fil. nat. max. Aul. Cerv.*

*In tempus vernum quo obiit.*

PRædixisse, miser, mutatâ veste futura
Gaudia, credideram, tempora veris ego.
Atqui fallor ego, vestis mutata, dolorem
Innuit, & lachrymis obvia quæq; scatent.
Terra modò, exornata rosis, & floribus astat,
*Reginam* gremio nempe habitura suo.

I. CAGE *Armig. fil. ex Aul. Cerv.*

*In Serenissimum Regem* Iacobum *Sponsum, &*
Annam *Reginam Consortem eius.*

ECquod Par coluit genialis fœdera lecti
Sanctiùs? in sponsis dulcior ecquis amor?
Cur ergo Stygius fecit Divortia Iudex?
Jura tori nullo jure soluta jacent.

GVLIEL. GRAY *Gen. ex Aul. Cerv.*

*Chron.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Chron.* 1618.

DesInIt In VIVIs esse optatIssIMa prInCeps.
Fatalis titulus fatalem terminat annum,
Qui vitam nobis terminat *Annæ* tuam.

*Chron.* 1618.

FœMIneIseXVs & DeCor Anna perIt.

Nunc dolor, at nuper patriæ decus inclyta Princeps,
Subscripsit legi (mors male-sana) tuæ.
Scilicet hoc voluit miseris mortalibus omen,
Visa sepulchralem tendere flamma facem.
Falsa forent utinam veterum præsagia de Te,
Viveret & patriæ gloria summa suæ.
Sic *Annam* non esset opus lugere sepultam,
*Annæ* vox plausus lætitiæq; foret.

H. HIDE *Armig. fil. è Coll. Exon.*

COmmunem voluit dum pingere Musa dolorē,
Pagina sub tanto pondere nostra labat.
Stillantes oculi lachrymas fecere lituras;
Edidit & maculas nil nisi charta suas.
Penna manu tremuit, triplices scripturaq; Parcas,
Pro triplici Parca est nil nisi menda triplex.
Et tanquam invisa hæc celarent nomina Musæ,
Fecerunt maculis fata perire suis.
Occidit heù Princeps virtutibus aucta modestis;
(Proh nimium invisas, quæ rapuêre deas.
Occidit, & nondum maturos egerat annos;
Cur animam properant astra tenere tuam?

Ite

Ite pij cineres, vrna requieſcite parva,
Tandem jus cœlis & dabit urna ſuum.

R. MYLLES *ex Æde Chr. Armig. fil.*

COncedit Cytherea locum, pudibunda Minerva
Se retrahit, Juno ſceptra tenere negat,
Te ſuperas penetrante domos; quis crederet unam
Tres merito tantas vincere poſſe deas?
Quæ vixit thalami regalis ſplendida conſors,
Vt fieret Chriſti ſponſa beata, jacet,

G. ABBOT *Coll. Ball. Gen.*

VNum inter Scotos, aliud dedit Anglia, quid non,
Tertia in Angelico ſint tua ſceptra choro.

*Aliud.*

Chriſto nupta Dei, jam *Chriſto* nupta *Deo*, eſt.
Tunc Anglos comites, nunc habet Angelicos.

*Aliud.*

ANNA antè eſt & retrò eadem, Regina proinde
Quæ vivens, etiam mortua, ſceptra gerit.

R. POWELL *Coll. Magd.*

ASträam quondam qui dixit ad alta rediſſe
Sidera, re vera nonne Poeta fuit?
Sex annos & luſtra duo hîc Aſträa remanſit;
Converſa in lachrymas Anglia teſtis erit,
Hanc modò læta ſibi rapuerunt aſtra; volavit
Nuper in amplexus *Annæ* beata Jovis.

Quid

Quid mihi cum fatis? quidve æthere prodigioso?
Nil, terris mutans regna Cometa, moves.
Prædixisse *Annam* morituram anne hæc ego dicam?
Funera majora his, tanta præire decent,
Luna pati Eclypsin, Titan palleſcere, mundi
Totaq; dissolvi machina debuerat.

H. IOHNES *ex Æde Christ. alumn.*

CUr unquã Britones lacrymas in funera matrũ
Fudimus? aut luctus patre gemente pios?
O cur non planctus vel in hoc servavimus ęvũ?
Nam Regina, potens novit & *Anna* mori.
Anglia iam lacrymas, in tantâ morte, creato,
Quem natura docet, nil valet ille dolor.
Iam minimâ quondam contenti nocte Britanni
Æternas noctes hac moriente sciant.
Jam Scotus fletu cæcus, iam cæcior Anglus
In lachrymas solùm posse videre roget:
Vanescat dolor ille levis, nec idoneus *Annæ*
qui cernit, vel qui se doluisse videt.
Sumamus, *Niobes*, nos saxa stupentia luctum,
Sic tumulum faciat terra Britanna tuum.
Flevimus in lapides, lacrymæ cœmenta sepulchri,
Et mundus Basis est: *Anna* sepulta vale.

THO. SPENSER *Ædis Christi alumnus.*

A Te ſi ſumptos numeres Regina dolores,
Horum aliquos videas coniugis eſſe tui:
Quos ſi componat doctus tibi carmine, dices
Orphea coniugium ſic repetiſſe ſuum.
Sint ergo hæc, Regina, tui ſolatia lethi;
Si non Rege frui conjuge, vate potes.

T. LOCKEY *Ædis Chriſti alumnus.*

*In obitum Sereniſſimæ Reginæ, tempore Quadrageſimali, ſub initio Martii, Sole Piſces perambulante.*

IN *Piſces* moriente *Annâ* Sol intrat, & infrà
Pro dapibus *Piſces* æquoris orbis habet;
Namq; ſolum, cœlúmq; ſimul jejunia ſervant,
*Annæ* quod ſimilem vix dare vita poteſt.

*De Sepulturâ Reginæ, in Æde Divi Petri Weſtmonaſt.*

Cùm *Petri* moriare fide, cùm tempore tali,
Jam Piſcatoris quàm benè in Æde jaces?

Io. PRICE *Ædis chriſti Alumnus.*

EFfundat cœlum lacrymas, ut reddat Apriles
Flores ſtelliferum, Te moriente, ſolum.
Nè, quæ tot meritis, & regnis floruit *Anna*,
Floribus indigeat, queîs rudis urna nitet.

Quin

Quin ſpernas flores Regina beatior, iſtis
Putidum eget corpus, ſpirat odore tuum.

THOMAS EVANS *Ædis Chriſti Generoſus.*

INter bellorum fremitus, orbiſq; tumultus
Eripitur nobis *Anna*, deoſq; petit.
Eſt illic Regina tamen: capitiq; * *Coronam*
Aptat ſtellantem, quod benè novit onus.
Tum matri oſtendens *Henricus* caſtra, cohortes,
Compoſitáſq; acies, ô benè mater, ait.
Si quis adeſt hoſtis, victoria certa Britannis:
En nobis iam nunc læta corona datur.

GVIL. STRODE *Ædis Chriſti alumnus.*

* *Scil. Ariadnes Coronam.*

NAturæ (Regina) ſemel, bis mortua plebi es,
Mœrorem revocant nunc tua buſta novũ.
Compita circumeunt citò ne juga grata relin-
Et lenti bijuges tempore mœſta notant. (quant,
Pallet ebur, gelidoq; madent ſudore columnæ,
Inviti ponant cum grave pondus equi.
Vt doleant ſpectant; dum ſpectant funera, lugent:
Ni pro Te, tantus non queat eſſe dolor.

FRANCIS DEWEY *Ædis Chriſti alumnus.*

ANglia quæ quondam Funus deflevit *Elizæ*,
Funera nunc *Annæ* flenda ſororis agit.
*Anna* ſoror, ſoror *Anna* mei pars, (inquit *Eliza*)
In nemus Elyſium tu ſoror *Anna* veni.

HEN. GRENT *Novi Coll. Socius.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

CUm Flora primum verna gemmas floridas
Sparsit per agros, ipsa gemma florida
Perii resecta falce crudelis Deæ:
Quicunq; gressus huc tuos flectis, piis
Hunc fletibus lapidem riges, ni fis lapis,
Tumulusq; lacrymis fac ut humescens tuis
Parturiat herbas vere perpetuo virens.

IO. LONGWORTH *coll. Magd.*

*Chronogram.* 1618.

—— HeV erIt VnqVaM
ILLe DIes? ——

Vidimus, ast iterum nunquamne videbimus *Annam*?
Non erIt heV VnqVaM, qui fuit, ILLe DIes.

RIC. PARSONS *Nov. Coll. Soc.*

*In obitum serenissimæ Reginæ* Annæ *veræ religionis studiosissimæ.*

REginã: Lacrymis, Gemitûs, Fato, Vrbis, Honoris,
Musæ; Rex; Populus; Percita; Fama; Rosam.
Deplorant; Celebrat; Queritur; Luget; Jacet, Abdit.
Carmine. Funus. Onus. Patria. Victa. Solum.

Princeps, plebs, populus, grex, Rex, & patria lugẽt,
Inventor metri luget Apollo mei.
Gens dolet, & genti merito fit causa dolendi;
Nam rosa persplendens urbis, & orbis obit:
Rex dolet: & Regi meritò fit causa dolendi:

Con-

## *Annæ Funebria Sacra.*

Condit Reginæ σῶμα τὸ σῶμα ſuæ:
Grex flet; quis non flet? quoniam ſunt tempora flendi;
Ut decoret lacrymis funera tanta ſacris:
*Annæ* Reginæ celebrabunt funus *Athenæ*:
Quæ cultrix Regis; quæ quoq; legis erat.

THO. DART è *Coll. Bal.*

LIvida terribilis penetrarunt ſpicula mortis
Pectora Reginæ, ſumme *Iacobe*, tuæ:
Hæc ſoror, hæc coniux, hæc filia Regis; amœnæ
Daniæ & hæc pretium, gloria noſtra fuit.
*Anna* vale, reſonantq; vale clamoribus Angli,
Anglia ſic reſonat, vive *Iacobe* diù.

IO. AMBLER *ex Aula Beatæ Mariæ.*

*In Cometam.*

Cœlum dum ſcandis Chriſto (REGINA) jubente,
Facta tuæ dux eſt, prævia ſtella viæ.

*In eundem in Scorpione.*

Eventum timui lacrymas, & funera, poſtquam
Inflammata tibi (Scorpio) cauda fuit.

*Ad Lectorem.*

Accipias at non animo deducta ſereno
Carmina, turbavit pectora noſtra dolor.

THOM. FVLFORD *Armig. fil. Coll. Exon.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

QVid ſibi tanta volunt ſuſpiria? quidve dolores?
Quid fletis demptam (Lumina mœſta) Deam?
Hæc moritur (fateor) ſed tali morte triumphat;
Interit, interitus janua Honoris erat:
Atqui ſi pietas veſtra eſt lachrymare: dolete
Hanc, ſcelus ob noſtrum, vivere nolle Deam.

Io. WARRE *Armig. fil. nat. max. Exon. Coll.*

*Iacobus ad Annam.*

CUr Me, Sponſa, tuum, Sic deſeris optima, Sponſũ
Sic Thalami præſtas, Conjugiiq; fidem?

*Anna ad Iacobum.*

Me coniux major, Chriſtus, (*Iacobe*) vocabat.
In Cœlis fio iam nova nupta; vale.

GEORG. SADLEIR *Armig. fil. Coll. Exon.*

NOn ſatis iratis pœnæ dedit Anglia Parcis,
Cum raperent Martis, Mercuriiq; decus?
Non ſat erat fatis fructum carpſiſſe? ſed arbor
Quæ tulit immiti falce reciſa cadet?
Nil coniux, germana, parens, & filia Regis
Ortu, prole, viro maxima fata movet?

A. W. *Ioannenſis.*

ESſe meos optem lacrymarum flumina ocellos,
Vt dignè exequias conquerar (*Anna*) tuas;
Cujus ſive genus, genus altò à ſãguine Regũ eſt
Seu famam, in laudes quælibet ora vocant.
Seu

Seu thalamos: magni conjux caſtiſſima Regis,
Et nata, & genetrix, & ſoror illa fuit:
Si mentem inſpiciam (quæ laus eſt maxima) cultam
Vt decet eximiis dotibus inueniam.
Jure igitur meliora deus te in ſceptra reponit,
Sanctaq; in Elyſiis umbra pererrat agris.

GVIL. SELBYE *Late-part.*

DE te Certamen fruſtrà tria Regna movebant:
Cui Tutela fores: Quodq; ait eſſe ſuam.
Dania quod dederat tibi lucem, Scotia tædas,
Anglia quòd ſceptris altera ſceptra tuis.
Jupiter antiquæ cladis non immemor inter
Hæc tria, certamen te rapiendo premit:
At neq; certamen preſſit: lacrymantia Regna,
Nunc quoq; contendunt fata dolere tua.

G. HAYWOOD *Ioannenſis.*

MOrs plebem linquens Regis graſſata per aulã
Dumq; jacit cæca ſpicula dira manu; (eſt,
Pectora Reginæ telis fatalibus *Annæ*
Perculit, (ô nunquam pectora digna mori!)
Vt tamen errorem vidit, ſit pallida quamvis,
Ad tantum nequiit non rubuiſſe ſcelus.

I. E. *Ioannenſis.*

Dic

## *Annæ Funebria Sacra.*

Dic quid sis tanto tibi Mors Lucrata furore?
Esse vetas hominem: facta repentè Dea est.

S. T. *Socius Ioannensis.*

*Uxor mutat domicilium cum viro. gl. ad l. cum quædam. ff. de iurisd. om. ind.*

QVò properas Regina tuo sine conjuge? sedes
Scilicet Æthereas incomitata petis?
Non hoc auspiciis faceres sine conjugis: ille
Autor mutandæ debuit esse domus.
Ille sed est multos terrâ victurus in annos
(Vivat ut in multos annue, Summe deus)
Vivus & ut nobis prosit, regnisq; Britannis,
Cœlestes optat serus adire domos.
Ergo cum Sponsus Pylios impleverit annos,
Et tu Cumæos, *Anna* beata, dies:
Par fuit in magni simul isse palatia cœli,
Hujus mutatâ conditione loci.

NIC. MVSSELL, *ex Aul. Cerv.*

QVòd Regina, quòd *Anna* obiit, quòd filia regis
Regia quòd conjux, regia quòdq; soror,
Quòd mater fœlix, quòd honos notissimus Aulæ:
Vna est mors, vnus noluit esse dolor.
Festinavit hyems, & ademit frigora, fletus
Ne possint amnes non reparare suos.
Oceanus nunc es non Insula es, Anglia; salsas
Insulæ erunt oculi tot positi inter aquas.

En

## *Anniæ Funebria Sacra.*

En vicina auget vicinos Scotia fluctus,
Et pluſquàm Maio Lilia rore madent.
Et Germana ſuam raptam ſibi Filia matrem
Luget; nec minus hoc vir Fredericus habet.
Ille etiam teneros Infans ſibi ſolvit ocellos;
Et lachrymæ faciles, & ſine voce fluunt:
Et molli lenita ſono ſuſpiria ſurgunt;
Qualia de minimo pectore miſſa putes.
Cypridi id invidiæ eſt: patri matriq; timori,
Ne novus, effleto lumine, fiat amor.
Ille flet, & languet; nec ſcit cur langueat ille;
Sed matrem mœſtam cùm videt, inde gemit.
Illa ſui ut lachrymas nati videt, ingemit altè:
Et lacrymis, dederat quas dolor, addit amor.
Parve puer, ſoli matri concede dolores:
Si non ſoleris, mitior eſſe potes.
Quid non Danus aget quo teſtaretur ocellis,
Quàm potuit mergi ſi foret inter eos?
Non alius, (niſi non mulier, niſi purior) ille,
Quàm pro fratre ſuo (ſi pia) *Biblis* erat.
Orbe etiam fluvij quanti emittuntur ab illo
Qui ſuum ab auguſtâ Virgine nomen habet!
Arva licet ſitiant, Phœbo interdixit ocellis:
Et natat in lacrymis, cùm ſit egenus aquæ.
Iam primos reprimas; propter majora, labores:
Nec tua communis ſuſcitet arma timor:
Cùm tantæ lacrymæ tibi tot mittantur ab oris;
Ne timeas claſſes, Anglia, ſed maria.

*Cauni ſoror, quæ cùm fratris, què miſerè deperibat copiam non haberet, dolore victa, non prius à lacrymis deſtitit quàm in fontem conſumeretur: Ovid. Met. lib. Colon. Virg.*

Io. Harris *Æd. Chr. alumn.*

O O

## *Annæ Funebria Sacra.*

O Toties Regina ſacris in ritibus *Anna*
Commemorata! *Annam* parua litura tegat?
Ah non: ecce etenim deceptâ voce ſacerdos
Te meminit precibus, vel meminiſſe velit.
Nelcius & toties repetitum amittere nomen:
Tam bene quod notum calluit alba cohors.
Major deceptæ eſt pietas & gratia linguæ;
Sic errâſſe magis, quàm tacuiſſe juvat.

T. TRIPLET *ex Æde Chr.*

ESt inſtar annuli aurei
Britanniæ fælix ſolum;
Regalis aula eſt annuli
Coruſca pala, & inclyta
Regina palæ pulchra erat
Gemma: hac cruento vulnere
Ruptâ dolendi funeris
Raptáq; Parcæ dexterâ,
Jam periit aulæ gloria.
Abiit Britanniæ nitor
Obiit Britanniæ decus.

*Quod mortem obiit ſecundo die menſis Martii*

*Ad Reginam.*

Anni principium, ſtatuit quem Romulus, annis
Impoſuit finem, nobilis *Anna*, tuis.

T. WISE *Coll. Magd.*

Rex

REx regni caput eſt, Oculuſq; Academia; præſtat,
Quæ ſunt membrorum, quilibet ordo vices.
Cum doleat caput, & cũ cætera membra; neceſſe eſt
Et lachrymis Oculos immaduiſſe ſuis:
Hinc illæ lacrymæ; Lucem noſtro Orbe ſecundam
perpetuis tenebris nox inimica premit.

MAT. NICHOLAS *Iuriſta & Nov. Coll. ſoc.*

DEſine mirari pluvias cecidiſſe frequentes;
Luminis hoc noſtri, vel Jovis vnda, facit,
Scilicet & ſuperis (ſi quid mortalia curant)
Juſtior haud unquam cauſa doloris erat.

I. CLVTTERBVCKE *Ædis Chriſti alumn.*

POſt obitum, in ſtellam Cæſar converſus: at ante
Mortem reginæ, fulſit in axe jubar.
Nam viva hæc, animam cœlo pia tradidit: illic
Eſſe animam perhibent, eſt ubi fixus amor.

G. AMES *Ioannenſis.*

*De Cometa haud multò ante obitum Reginæ ſecundum optimos Mathematicos ſupra Lunam apparente.*

DEſine mirari; flammis nam ſtella vapores
Abſorbet, tantæ vt ſit via pura Deæ.
Et curſu inſolito tentauit ſcandere Lunam,
Nam Lunæ virtus tanta ſubeſſe nequit.

I. CROFT *Militis fil. & Æd. Chr. alum.*

Φεῦ! Βασίλισσα πέσεν, ζωὸν παράδειγμα γυναίκων,
Θρησκείας, ἀρετῆς, καὶ παράδειγμα κλεοῦς.
Θρησκείας παράδειγμα, βροτῶν ὅτ' ἔρεισμα σεβάστων,
Τῆς ἀρετῆς φοινὶξ, λυχνίον (Ἄννα) κλεοῦς·
Χοικὸν γαῖα μέρος, τὸ ὀλύμπιον οὐρανὸς αἴρει,
Πνεῦμα γε πνεῦμ' ἅγιον, σῶμα δὲ σῆμα' λάβε.
Δίσσα σὲν (ὦ Βασίλισσα) στένω, καὶ δίσσα, στεναγμὸς
Ἐστ' ἐλαφρὸς λαλέων, ἄλλαλος ἀλλὰ μέγας·

Ρ. ὁ Κώτελος τῶν τέχνων Βακ. ὀκ
τῶν Κοινοβίου τῶν Ἐξον.

FAusta satis Natura mihi, Patremq;, Virumque;
Esse dedit Reges; gratulor his titulis.
Æquius est numen, melioraq; gaudia donat,
Vt Christus famulam me velit esse suam.

IO. VAVGHAN *Arm. fil. nat. max. ex Æde Christi.*

HÆccine fatidicus præsagia flenda Cometes
Spirat? crudelem sic vindicat ominis atri
Horrorisq; fidem, pinus dum syderat altas
Sylvarumque decus? potuit mors conscia prædis
Abstinuisse sacris: nec se fecisse nocentem,
Si sanctæ devota sami latuisset in aulâ
Vmbrosi ditis; radiis stupefacta serenis
Syderei vultus, jaculantis fulgure blando
Sceptra potestatis, rabidam frænantia mortem.
Sed nil perpetuant superi, summisque negatum
Stare diù; nam ipsis damnantur tempora fatis.

Fœdera

Fœdera ſcinduntur mundi, ſymphonia cœli,
Machina, concentuſque poli, ſua fata verentur.
Scilicet ambages ſpargit mea Muſa gementis
Eloquii, geniumque dolor fœcundat inertem,
Dum fruitur lacrymis, & carpit gaudia luctus.
Sed cur ignavo decoramus funera fluctu
Triſtitiæ? mœſtis & cur tabeſcimus undis?
Exequias (Regina) tuas ſuſpiria vatum
Docta ſtruunt, delubra tibi Muſiſq; ſacrantur;
Pieriis mugit reſonans ululatibus æther.
Quam nec poſteritas, quam nec malè ſurda ſilebunt
Sæcula, dum æternas rutilantia ſydera leges
Implent naturæ, donec compage ſolutâ
In chaos, & primum redeunt elementa ſepulchrum.
Invertat gyros luctu ſol luridus atro:
Non tamen in tenebris latitet pia fama profanis.
Nam tumulum & cineres neſcis, ſed pectore vivis
Inque animis hominum, pompâ meliore ſepulta.

Sic te cœlicolis reddas, virtute ſacratam,
Non aquilâ buſto proſiliente tuo.

GEORG. PARRY *Bac. Mert.*

ERgòne lugendũ eſt per mœſta ſilentia damnũ?
Verbaq; mœrori ſæva Camœna negat?
Outinam totum ſpirarent pectora Phœbum,
Diviniq; forent plena furore Dei.
Jam pia per noſtros facta eſt injuria planctus,
Vulneraq; in manes relligioſa ruunt.

Jam ſævus noſter dolor eſt, lacrymæq; prophanæ,
Quæ cineri ac umbræ fata ſtupenda ſtruunt.
Namq; novam per nos patiuntur funera mortem,
Carmineq; in tali buſta ſepulta jacent.
*Anna* tamen duplicis frangit monumenta ſepulchri,
Et ruit ad fratres jam dea facta deos.
Poſcentes ſuperos; cœlumq; audivit avarum,
Et quas fecerunt ſydera mœſta preces.
Ne verò impuras pertranſeat ætheris auras,
Purgaſti totam dire *Cometa* viam.
Numina iam feſtum celebrant, nova *Iuno* creatur,
Agnoſcunt plures Aſtra ſuperba deas.
Temnere jam noſtræ Mendacia ſplendida Terræ,
Et quicquid falſo fulget honore, juvat.
Dumque videt propiora ſacrûm penetralia divûm,
Punctum hoc, & ſolitas ridet opima domos.

Sic verò in noſtros conſpirant *Omina* luctus?
Et quæcunq; parit præſaga *Incendia* cœlum?
Ergòne *Prodigÿs* miſeros *natura* Britannos
Vulnerat, & dirum malè fundit ab *Æthere* lethum?
At nos, cum ruerent flammæ, cęloq; volarent
Crinitæ per inane faces, ſpes una levavit,
Eſſe hæc prætrepidi tantùm ludibria mundi,
Et nihil in *Terræ Dominos* auſura nefandum.
Mortua jam *Princeps* fidei mendacia noſtræ
Imputat, & rutilo præſagia vindicat *Igni*.
Iam *Duplici* attonitos defixit *ſtella ſtupore*.
*Miramur ſtupidi* dubiaſq; horreſcimus artes,
Queîs potuit tumulare deos, & ſtamina Regum

Audaci

*Annæ Funebria Sacra.*

Audaci lacerare manu, queîs impia ſacros
Imperii nervos, viduataque ſolvere Regna.
*Lugemus ſtupidi* (quodq; ô vix mœſta referre
Muſa poteſt, gemitu luctantia verba premente)
*Lugemus Divam*, meritis quæ fallere ſtellas
Poſſet, & audaci leges imponere cœlo:
Quęq; ſolæciſmos Moli exprobrare flagranti
Poſſet, & imperio vanum fraudare *Cometam*.
Hæc tamen in Cælos cecidit, ſtellamq; precantem
Effecit gratam: Morte obſtetrice redempta
A Trunco, Mens ſacra ruit, buſtiq; malignas
Eluctata moras, cum proſiliente Tonantis
Al gero, feſtiva deûm penetralia ſcandit.
Nec verò ſola *Anna* faces, crinemq; timendi
Sideris experta eſt: lacrymantes dira *Coronas*
Stella premit; ſentit *Cimbrorum* vulnera ſceptrum,
Quoſq; benigna ſacris junxit Saturnia tædis,
Numina *Germani* populi *Fredericus*, *Eliza*
Indulgent lacrymis, & amant pro Matre dolorem.
Vnicus *Henricus* ſtellâ ſublimior omni
Immenſi partem ſuper aſtra implevit *Inanis*
Et calcat cœlos: flentes hic ridet ocellos
Et noſtris fruitur lacrymis, cum Matre triumphos
Agnoſcit plures, & creſcere gaudia ſentit.

ED. REYNOLDS *Bac. Merton.*

NOn mihi cum reliquis communis cauſa dolendi,
Communis reliquis ſit mihi cauſa licèt.
Quas vos Officio lacrymas effunditis; illas
Officio noſter ſed propiore *Pater:

*Sc. Reginæ atturnatus.*

Reginæ

Reginæ in terris habuit jus Ille locandis,
O utinam in Tumulum Jus habuiſſet idem.
Ille vices aliis ſolitus perſolvere rebus
Hanc velit & Dominæ perſolüiſſe Vicem.

ALEX. HIDE *Civiliſta Novi Coll. Socius.*

NAta, nurus, genetrix, ſoror, & ſuper omnia cõ-
Regia, quin titulos reſpice, Diva, tuos. (jux
Hinc tua te ſoboles, hinc frater, & inde mari-
Nexaq; multiplici ſanguine regna vocant. (tus,
Siccine nobilitas premitur virtute? dieſq;
Magna ſibi pietas, ſorte favente, negat?
Oh pietas funeſta tuis, oneroſaq; virtus
Parcite; quod nimium eſt incipit eſſe nefas.

At me rebellis luctus, & potentior
Reverſus animo ſtimulus ingenium quatit,
Tenuemq; frangit, neſcius claudi, ſinum,
Venas ut ignis lacerat Ætneas, dolor.
Nam quùm poteſtas mollit imperium, & Pius
Meruit vocari, paria qui Auguſto poteſt,
Amatque amantes non timentes nec timet,
Haud ullus æquè ſubditos amor tenet.
Vincit parentes, totus in ſtudiis ſedet,
Graviore fato, quam parentes, excidit.
Dominamne te Regina, vel matrem tuus
(Sic fas vocari) populus erepram fleat?
An ulla major potuit, & melior dari?
Oh mira regni gloria! Exemplum nimis

Nunc

Nunc absolutum regias urget domos,
Dominasq; durum vitæ ad examen vocat
Remissiores, optimas notum juuat.
Non insolentis luxus imperii comes
Torrente valido se superfudit tuis
Virtutibus, Regina: fortunæ modum,
Cui nullus ex se finis, & longè pudor,
Non lex, sed animus, legibus major, dedit.
Non sic solutis nivibus immensos hyems
Irritat amnes, inquinatq;, lucidos
Pædore fluctus terreo (hinc nemorum fragor,
Montesq; adesis rupibus vasti cadunt,
Latèq; rura strage miscentur gravi)
Ut plena regno mulier, atq; opibus tumens,
Pudore sexûs perdito, impotens sui,
Confundit imis summa, nec mores malos,
Coercet intùs, publica incedit lues.
At mitis *Anna* promptam & obviam bonis
Opem, vocata, rebus in dubiis, tulit,
Nulli molesta, chara singulis, pudens,
Veneranda, castum fixa luminum jubar,
Talisq; vultu, qualis ingenio, fuit.
Regnum merenti forma dat suffragium,
Virtutem oportet jura dare, formam decet.
Nil dotibus, Regina, mortales satis
Tribuêre vestris, terra nil tanti tulit;
Præmia petenda cœlitùs, cœlum dedit.

T. GALL. *Bacc. Mert.*

Anna; *Regina.*

ANna perit; Regina viget; mors *nomina* tantum
Eripit, æternum, quod fuit *Anna*, fuit.
Agnoſcit nullos regnandi gloria fines,
Mutatur, regno non pereunte, locus.
Quæ modò felici fuerat Regina Britanno
Jam tenet Elyſii ſceptra beata ſoli.

GVIL. HITE *in Art. Bacc. è Coll. Mert.*

QVæ vos (Aſtrologi judiciarji)
Dixiſtis populo fata Britannico,
Ardens dum fluido cõſtitit æthere
Lampas viſa domos urere cœlitum;
Hæc cum ſint tragicã nacta cataſtrophen,
Placari poterant invida numina,
Et placata viro ſonte piaculo
Inſonti poterant parcere fæminæ.
At fallor querulus: non mala numinum
Mens atrâ rapuit bile piiſſimam
*Annam* vindicibus Diis modo victimam,
Sed cælo placido, Diiſq; faventibus
Indulta eſt animæ, hęc gratia nobili,
Exuta ut ſtupidi mole cadaveris,
Et mundi trabeis & diademate,
Quà pandit ſuperis ſe via lactea,
Æternùm ſolio regnet eburneo,
Et cælum decoret ſtella noviſſima.

E. C. *Bacc. Mertonenſis.*

Sed

Sed quid de ſtella loquimur? domus ipſa Cometa (eſt
Mortem prænoſcens ardet & illa tuam,
Et cum marmoreæ nequeant ardere columnæ,
Nec poſſint dominam voce dolere ſuam,
Vndarum ſudant imbres, lachrymaſque, negante
Natura, emittant. ſaxea corda ſilent?

FRAN. HIDE in *Art. Bas. ex Æde Chriſt.*

Καὶ κωφοῖς ἔμπνευσιν ἔπι πεφρικόσιν ἦμαρ·
Ἦμαρ, ὃ πᾶσιν ὁμῶς τὰ ἀκήρατα τέρπεται ἔνθεν·
Ἦμαρ ὃ πᾶσιν ὁμῶς μελιηδέα δυμὸν ἀπούρας·
Ἦνίκα δὲ τὰ Θεᾶς πότμῳ φίλα γυῖα λέλυνται
Χὠ τὸ χαμαὶ χλοάδες πρὸς ἤματι πᾶσι βεβῶτες,
Πάντες ὁμῶς κεῖνθ' ἕνεκεν κείνης λάμ' ἄιδα.
Ἡ μέγα δεινὸν ἄυσμα, νιν' ὀρφύσι δάκρυα νικρὸς
Ἀείσιν μυρομένους χ' ὑδατα χρσὶν ἀμύσσειν.
Τοιῳμένοις δ' ἄχος νεκροῖς ἄστεκτον ὄρωρε
Καὶ βαρὺ κωκύειν ἀδινᾶς ἀμφιλυκὰ κέλευθα
Πικροτάτῃς ὀδυρμοῖσι πεπρμένα αἰνὸν ἄιδην.
Ἀχνυμένῳ φθονέει πολύλακρυς γοάσι γοῆτυν
Εἰς πόνον ἀτύζων τόπος ἐσὶν ἅ πᾶσι χόοιο
Ζῆλος ἀπηλέγεα κρυερὸν τόνον ἀμφαγαπῶσι.

Juſta darem, prohibet pietas, moléſq; dolorum
Impendiſſe vetat lachrymas planctuſq; loquaces
Fundere & attonitos verbis committere luctus.
Fallere damna ſolent lacrymæ, morboq; mederi
Clamoſi gemitus. Qui ſic pius, impius idem.
Ille dolet verè, quem nullus Apollo gementem
Nulla Camœna juvat; latet alto in pectore vulnus
Et ſtupefacta premit tacito præcordia luctu.

Ille dolor verus, qui clauſo panditur ore,
Vultus vbi vox eſt, perplexáq; murmura, verba.

Quis furor, (ô Parcæ) quæ tanta licentia fati,
Manibus inviſis ſacrum præbere cruorem?
Digna fuit quam mors fugeret, quam fata timerent,
Numina cui cedunt; nec numina fata verentur.
Illa tamen rapuit lœtum de morte triumphum
Viva, ſuæq; capax mortis moribunda recepit
Nunquam poſſe mori, & præſumpſit gaudia cœli.
Æthera ſic petiit, cognataq; ſydera, magni
Vt ſupplex olim, ſic nunc conviva Tonantis.
Hac mercede placent fatorum livor, & ipſa
Mors, pallor, cineres, vermes, putredo, ſepulchrum.

IOHAN. GOLDSMITH. *Bac. Merton.*

Manibus *Annæ* tuis dum mœſta, gemenſq; parentat
Anglia, miratur ſe ſupereſſe ſibi;
Quiſq; videt proprios manes, ſubitoq; ſeneſcens
Marcet, & in tanto funere funus adeſt:
Hoc tepet in buſto, qui jam vix naſcitur, infans,
Hâc, qui non cepit vivere, morte jacet.
Cedente *Henrico* fatis langueſcere cepit
Anglia, nunc tantâ clade perempta cadit.
Aula jacet lachrymis, Academia mœſta ſtupeſcit,
Commoritur, fato ſternitur atq; tuo.
Nos genium amiſſum querimur, venamq; benignã,
Dum ſolus dictet carmina vera dolor.
Et nunc in cygnum terrarum vertitur orbis,
Atq; tuum funus cantat, & ipſe ſuum.

*Epi.*

*Epitaphium.*

Hic Regina jacet; parum eſt, viator,
Naſcendo hoc meruit, dieſq; dignam
Natalis thalamo dedit *Iacobi.*
Sed vult illa ſuum bonum videri;
Nec quid ſe melius tenebat *Anna.*
Quare hoc in tumulo jacet ſepulta,
Quò mirere magis, Diana nupta,
Quam nymphæ miſerè dolent peremptam;
Proſtratæq; jacent mori rogantes,
Dum fatum dominæ vident ſubire:
Quæ ſi annos Hecubæ nimis ſenilis,
Totamq; integra vixerat Sibyllam,
Immatura tamen nimis periſſet,
Huic ſacra lachrymis piis, viator.

ANT. FARINDON *Art. Bac. Coll. Trin. Soc.*

QVamvis Elyſios tangant ſuſpiria manes,
Sintq; illic memores noſtri, quòd flem', amoris;
Hoc tamen ut ſummo ſuperi lætantur honore,
Quòd memori illorum dignemur nomina cedro,
Quod templis ſtatuiſq; (licet vix talia curent)
Donemus; quid enim debent poſt funera majus
Quàm nomen ſperare bonum? ſive hoſtis an hoſpes
Nemo negat lachrymas, pauci qui laude parentant;
Te tamen, ut par eſt, cum fletu fama ſecunda.
Conſecrat, & nomen Divis adſcribere gaudet.

IOS. SCRIVEN *C.C.C. Art. Bac.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*Chronogramma.*

VerrIDere negat, Mars læVVs anheLat, AprILIs
FLet, tIbI eheV LVgens Mensis & annVs aDest.

Quid lacrymas fundis? quid tot suspiria? frustra est,
Sat Mars singultus, sat dat Aprilis aquæ.
Si Mars, defunctâ, possit durissimus *Annâ*,
Suspirare, nefas sit tibi nolle mori.
Quandoq; inassuetos se solvit Aprilis in imbres,
Turpe est si non sis, Anglia, tota palus.

MAVR. BERKLEY *Eq. aurati fil. Art. Bacc. Coll. Reginæ.*

SVrdæ, sancta, piæ; Parcæ, regina, camænæ;
Dira, piâ, tristes, spicula, mente, modos;
Infaustâ, furibunda, gravi; vi, tela, dolore,
Miserunt; sumpsit; (proh mala fata) canunt.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Occubuit | morti | quæ | tempsit | spicula | mortis |
| Morti | divovit | properè | cur | corpus | amaræ? |
| Quæ | properè | interiit, | conculcat | flebile | telum |
| Tempsit | cur? | conculcat | telum | tangere | durum |
| Spicula | corpus | flebile | tangere | pungite | corda |
| Mortis | amaræ | telum | durum | corda | domabit. |

*Distichon.*

Vxoris, matris, reginæ; flet dolet, offert,
Rex, soboles, populus, funera, fata, μόλος.

ANT. FOWKE *è Coll. Reg. in Art. Mag.*

Ec-

ECquid periſti? pars tota in cineres abit?
Hic tumulus *Annæ* eſt: cheù tam parvus cinis?
Illa, inter Animas, inter Angelicos choros
Anima, ſoluta hâc labe corporeâ, gravi
Et fæce, puras incolit cœli domos.
Exuperat aſtra luce: confinis Deo.
Mortale ridet omne, ſatiatur bonis
Quæ ſola ſemper novit, & guſtat bona.
Sed quid tenentem regna ſyderei poli,
Cœloq; tandem redditam, planctu volo
Sentire Fatum? Deſino manes ſacros
Turbare fletu: ſufficit nobis nimis,
Quòd patimur Umbræ vulnus infandum Tuæ.

Gorgoneam in miſeras faciem torquere figuras,
Quæ ſpectatores terreat ore ſuos:
Invitoſvè oculos torquere humore coacto:
Vel, quia conductus, veſte, dolere, datâ
Cordeq; mendaci ſuſpiria ducere ficta:
Non rectè hoc dici, flere, dolorvè poteſt.
Nec flere eſt, cippo, aut redimiri tempora, buxo:
Ille dolet verè, qui moriendo dolet.

ROBERTVS KING *Art. Mag. ex Æde Chriſti.*

COnde *tuas Hymenæe faces*, tua jura ſine ullo
Pondere, *habent alias mœſta ſepulchra faces*;
Funeribus terrere novis *Libitina* protervo
Pergit conatu, triſte peregit opus,
*Henricum* rapuit, tamen hic non finiet iras,

Somni-

Somniat imperium jam ſine fine ſuum,
Irruit in *thalamos* nimium temeraria, & *Annam*
Injuſſu tenebris mandat, & eſſe negat:
Quæ fuit in vivis invicti *Sponſa Monarchæ*
Demiſſa inviſis viribus icta jacet;
Conditur in tumulis rabida ſtipata Coronâ,
Vermibus apponi vilior eſca poteſt,
Quin pete Rus *Lsbitina*, dabit tibi villa Colonos,
Et terræ quod non utile pondus erit
Tolle, premas: ſolùm ſit *Regia* ſalva *Iacobi*,
*In loca ne redeas amplius iſta precor.*

*Anna* petit cœlum, Dic in quâ parte refulget,
Si tibi ſit facilis, *Qui colit aſtra*, labor.

RIC. TAPPER *Art. Mag. Coll. Wad. Alumnus.*

Carolus *ad matrem*.

CVr me, (chara Parens) tenerũ ſic linquis *Iülum*,
Amplexuſq; meos, non retinenda fugis?

*Mater ad* Carolum.

*Henricus* binas, è Cœlo porrigit ulnas,
Advolo: te prior eſt *Carole*, mitte queri.

Henricus *de utroq;*.

Salve (Mater amans) in Cœlis Regna capeſce,
In terris Fratrem ſors manet ampla meum.

BARTHOL. PARR. *Art. Mag. è Coll. Exon.*

תמעות ותחנונים.

נחי נחי אלדי עמים.
אחת במות כלים מתים.
הכאב לאום מות השגל.
מלך שלום שמח מכל.
יגמר גא אל כל פושע.
ארה משנב שמר מרע.

SAM. SEWARD *Art. Mag. è Coll. Lincoln. Socius.*

SAt nœniarum: levia perpessi sumus
Si fanda, summus, & modo carens, Modis
Haud semet arctis patitur astringi dolor.
Regina, Britonum maximum & decus, & dolor,
Alii parentent Manibus; Elegis Tibi
Laudisq; meritæ thure *Melpomene* litet
Aliena, noster prorsus elinguis stupor,
Oculisq; madidis vena, non calamo fluit.

A. FREWEN *Art. Mag. Coll. Magd.*

REserate, lumina cava, cataractas graves,
Tumidas inundet rapidus has ripas dolor:
Vitrumq; fiat unda pretiosa, & cadat
Humore Crystalli fluvius ingens, salum;

Lacrymæq; faciant Orbe Cataclyſmum novo.
Rig re malas, mergereq; fontes, leve eſt,
Oculos videntes funus offundat dolor.
Nubes refringat aquea ſolis iners jubar,
Sit magis imago fuſca, ſit major ſuâ,
Damno ut parentet luridâ, & magnâ face.
Quæ ſola regnis digna *Iacobi*, & toro
Occubuit *Anna*. patitur *Hæc* manes ſuos,
Scotis, Britanniſq; invidet fatum ferox,
Tenebras meridie fecit his, queîs nox brevis.
Miratur has nemo ſimul eclypſes duas?
Patitur ob umbram, Luna deliquium, ſoli,
(O ſi tenebras umbra ſola has fecerat)
Phœbeq; Noſtri rejicit heû Solis jubar
Nigricante ſpecie. Cujus obvolvit caput
Corona pullum; quale ſpectrum ſol ſuo
Deſignat orbe nube pluvioſâ æſtuans.
Quin orbis Ocule, redde jam nobis diem.
*Carolus* adhuc, *Fredericus*, & *Eliza* integri
Fatis ſuperſunt. Hi numerus orbi ſatis
Amplus, reliquit *Anna* quot Gemmas ferax?
Qualeſq; per tot ſæcla jactârunt Scoti,
Memoranda Faſtis retulit in lucem *Hæc* parens.

MICHAEL GLYD *Ædis Chriſti Art. Mag.*

*Anna-*

*Anagram.*

ANNA STEVARTIA REGINA.
*Ah! an in vnâ tres Gratiæ?*

AH geminans miſerum diſco geminare dolorem,
*Ah* duplicans lachrymas conduplicare meas.
At quoniam alma *trias Charitum* delapſa per *vnam*,
In q; *vnâ* quoniam *tres* cecidere *Deæ*;
*Tertius* addendus nobis gradus eſto doloris
Et reliquos ſuperet *tertius* iſte dolor:
Scilicet haud *vno* lachrymarum flumine flenda eſt,
*Vnica* quæ nobis, nec tamen *vna* fuit.

R. TAILLER *Art. Mag. è Coll. Exon.*

IUriſta dicit, *Rex mori nunquam poteſt*:
Medico fuiſſet dignus atq; Hippocrate
Aphoriſmus hic, *Regina non poteſt mori.*
Tunc *Anna* nullos flebiles annos daret,
Nec Chriſtianus orbis atratus foret,
*Iacobus* animæ ſorte, *Iacobus* tori
Conſorte non careret: Haud Britannia
Haberet unde flere Reginam ſuam;
Materq; flenda non daretur Walliæ,
Sororve Daniæ, vel ſocrus Germaniæ;
Elizabethæ flenda non foret parens;
Rhenenſis aviam nobilis proles ſuam
(Ridere vix-dum docta) non fleret; ſuâ
Nutrice non careret Academia.
Quot atq; quanti quanta damna ſuſtinent?

T. L. *Mag. Art. Coll. Lincoln.*

*In mortem luctuosam Serenissimæ Principis,*
*Annæ Magnæ Britanniæ Reginæ,*
*Ἰαμβο-θρῆνος.*

DVm tot poëtas funeri cerno tuo
Chartam litantes, serium & luctum metro
Lascivientem; quàm pudet, quod non modo
Licebit aliô fata Reginæ queri,
Quam quô solemus flere vulgarem pyram,
Vmbrasq; viles. Siquis in verbis dolor
Aut voce constet, Musa venalis loqui,
Ac prostituta lingua mercedi, potest
Laudare functos: quodq, non nostris novum
Diebus, emptum marmor, & lapidum strues
Mentita multo carmine, & titulis tumens,
Æqualē* Cario funus idiotæ facit.
Ergò doloris alia calcanda est via:
Scrutandus alius trames: Humentes genæ,
Numerisvè sculptæ lacrymę, sordent nimis:
Non nostra cura, aut vasta numerari mala,
Nisi insolentis calculo mortis, queunt.
Natura! si vis congruos fletus dare,
Pro lacrymarum fonte, vitarum cadat
Funestus imber. Vis honorandæ pyræ
Inscriptionem? nulla componas metra;
Sed et Poëtas, carminis mœsti vice,
Compone. Carmen in Poëtarum luem
Scriptum, aut popelli clade fastorum liber
Excusus, *Annæ* consoni annales forent,
Epitaphiumq; Principis dignum rogô.

* *Sepulchrum Mausoli, Regis Cariæ.*

Non

Non ergò veſtras ipſe depoſco faces
Tritæ camœnæ: veſtra jamdudum perit
Ridenda Deitas; & fatigatæ lyræ
Senium fatentur. Si quod in carmen meum
Vocabo numen, tu mihi numen *Dolor*,
Tuuſq; Genius mille pro muſis erit.
Tu veriori te probas ritu Deam
Qui nec doloſi temporis ſentis fugam,
Nec, conſeneſcis, ipſius mundi licet
Anno coævus: Ac diù quamvis eras
Miniſtra Fati, & ſortis armatæ tuis
Semper ſagittis, artifex omnis mali
Quod expiriri potuit ingenium ferox
Vtriuſq; junctum, quôq; devictam propè
Mortalitatem, ſeq; laſſarunt; tamen
Non tu fatiſcis myſticæ nondum penu
Crudelitatis deficit; plenas geris
Adhuc pharetras; unde depromptas, ferax
Paſſim tyrannis, luctuum fundit vices.
Ipſe ergò potior Muſa, qui donas malis
Inventionem, quaſq; formaſti doces
Lugere clades. In tuis calamus meus
Tingatur undis; qui, Caballinô lacu
Siticuloſis vatibus poto, novum
Creare fontem, fletuum ſtillis, potes,
Atq; Hippocrenen abſq; cõmento paris:
Vna Hippocrene ſi ſatis, vel non magis
Tumidis petendus roris Oceanus genis.
Nam ſi dolorum, guttulis noſtris, licet
Metiri abyſſum, quanta jactura eſt Tui

Regina! quantũ pondus ærumnæ gravat
Animas liquentes! dum recollecto ſinu
Te cogitamus, tota quæ fueras boni
Opulenta acerra: pectus excelſi thronus.
Fanumq; meriti: craſſi & Humoris loco,
Mixtura pulchri corporis virtus erat.
Seu caſtitatem narro Veſtalem thori
Intaminati, nec profanandam fidem;
Seu demerendis ſubditis natam cano
Benignitatem; ſemper expanſam manum,
Auremq; patulam ſupplici; ac mentẽ dare
Paratiorem, quam verecundus cliens
Rogaret. At quâ voce, Pietatis feram
Trophæa, ſexus dignæ in exemplum tui
Scribi columnis æneis? Non ſic eras
Fœlicitate victa, ut & cœli fores
Oblita: ſed quod proſperis rarum eſt, Deo
Vacare poteras; quaſq; detrivit dies,
Quas fudit horas vana mollities comis
Enutriendis, ſive phalerando breve
Et fragile corpus, ſingulas iſtas prece
Religio fudit veſtra, & impendit Deo.
Omitto mundi Idola, Fortunã, & Genus.
Quod Regis eſſes Nata, quod Coniux, Soror,
Futura Mater. Tu propagatos ſtylos,
Ac mutuatum à ſtirpe paſſivum decus,
Celebriori dote ſuperâſti, piâ
Probitate; Domina ſanguini celſo paris
Virtutis: & quæ rarò mixturam ferunt,
Magnum Bonumq; pectore unîſti tuo.
Aſt occidiſti Phœbe, & à Sphæra ruens

Declive

Declive longâ nocte condisti jubar;
Nec (proh miſellos!) de tot immenſis bonis,
De tam ſtupendâ Fabricâ, quicquam manet
Præter Dolorem & Funus, (Hæredes ſumus
Horum, abſq; tabulis) quodq; non unum poteſt
Oblivioſas mortis exequias pati,
Charam Memoriam: quæ ſupervivet pyram
Nec pertinaci planctui finem dabit
Dum poſterorum ſolvit in fletum genas.
Sed ſi cadendum eſt, providam fati manum
Laudo: & benignam gratulor multùm Necis
Crudelitatem, quòd Tibi haud funus dedit
Inglorioſum: at tempus elegit, mori
Quô poſſet ipſum Tempus aut mundi parens
Natura: Tempus cladis horrendæ notis
Inſigne, * Rivo ſanguinis; morbi novâ
Contagione; Schiſmate & Sectis; crebro
Rumore belli; (quodq; conſummat malum)
Notum coævo * Principum caſu trium.
Ne ſola ſubeas frigidum Noctis thorum:
At habeat, aptum magna famulatum pyra;
Regumq; fatis umbra ſtipetur Tua.
(Hoc ſuſpicabar facinus iratæ Deæ)
Cum dira pandit ſtella funeſtam jubam,
Cum totus æther funebri indutus ſtolâ,
Cœlumq; luxit igne fatali. Fuit
(Eiah) Cometes iſte Campanæ locô
Lugubrioris, ſive fatorum tuba,
Et Fecialis, cuius infauſto ſono
Te mors citavit. Jamq; vexatio docet,

* *In Hungariâ vid. Gallo-belgic.*

* *Maximilian. Archi-ducis. Annæ Imperatricis. Matthiæ Imperatoris.*

Ac

Ac erudita cura rationem dedit,
Cur iſte ſolus æmulus bigis pigri
Boötis eſſet, aut inæquali volans
Motu, ſuperbos ſyderum æquaret gradus:
Vt nempè, in alto vertice Arcturi ſedens,
Poſſet faciliùs indè conſpicuâ face
Non ſingulari climati, at Terræ Globo,
Toti minari mundo, & aſpectu truci
Narraret Oecumenica portendi mala.
Vade ergò queſtus: vade; privatæ nimis
Es amplus orę: Scinde Neptuni frena,
Torrente proprio vectus; alato pede
Novum experire clima: Rivalem licet
Sperare nequeas lacrymis, ſocium potes.
Nam copioſus eſt Britannorum dolor,
Vnde amputare liceat, & multos rogos
Supplere curis. Erimus ærumnæ quidem
Nos creditores: cumq; dederîmus ſatis,
Superq; nobis uſq; reſtabit nimis.
Veſtro ſub axe, Dania, exortum fuit
Hoc fæminarum Sydus: ipſa ergò, tui,
Ex nationum jure, ſupremum dabis
Luctus tributum. Debitũ hoc *Annæ* rogis
Præſtabis, in quâ, crede, domuiſti magis
Anglum, cruentis quam Patrũ telis. Potes
His corpus, Illâ corda viciſti Deâ.
Sed non triumphum aut ſpolia jactabis, ſemel
Victi Britanni: jam reponemus Tibi,
Vincemus ipſi millies: Merget ſolum
Ferale victrix ſævior telis, dolor,

Et

Et obruemus flente cataractâ ſinus.
Te verò Rhene, jure propiori vocant
Britanna fata; Tu parentabis malis
Noſtris, Tuiſq; Matris optatæ ſtylus
Hâc eſt ſepultus, Matris (exaudi:) ſonum
Dediſce ſuavem vocis iſtius; perit,
Et nos perimus. Penè jacturâ pares
Videmur eſſe, ſimus in planctu pares.
Pares at erimus maximè, cùm non pares:
Cùm planctus omne refugit exemplũ, ſibi
Prototypus uni. Mactè certemus piis
Mutuó querelis, adq; lamenta invicem
Nos provocemus: dira nec ſiſtat prius
Flendi voluptas, donec humorum latex,
Salſiq; laxum deſerunt imbres caput.
Tu, ſi fatiſcant forſan Anglorum genæ,
Succurre lacrymis; alveo grato cape
Luctum fluentem, Tuq; lugendo ſatur,
Refunde luctum; Sic & alternâ vice
Illuſi ab ipſis, noſtra ludemus mala.
Nos æmulemur, lacrymâ infeſſâ maris
Fluxus, refluxus: utq; non requiem ſciat
Procella noſtra, motibus flentes aquas
Suſpiriorum ventus æterniſs agat:
Ne fortè ſtagnet amne tranquillo dolor,
Aut mollem hebeſcens cura torporem ſciat.

HENRICVS KING, *olim ex Æde Chriſti.*

## *Annæ Funebria Sacra.*

*De Tempore quo* Anna *Regina eſt ſublata.*

MArtius, Armipotens tibi cum Gradive dicetur
Cur in fæmineum ſæuiat iſte genus?
Hoc prius occubuit, Dea nunc cœleſtis, Eliza,
Quã, paribus ſequitur paſſibus, *Anna ſoror*.
*Anna* ſoror? ſed in Hoc, Illi, dare ſacra ſolebant,
*Ovid. 3. Faſt.* Menſibus ut reliquis, omnia fauſta forent.
Cœcus amor miſeros ſeduxerat, *Anna Perenna*,
Non ea, quæ placido flumine, merſa fuit;
Sed quam carminibus celebrat pia Muſa, *Iacobi*
Conſors, & terras deſeruiſſe dolet.
Deſeruit ſed ovans, Veneres, nolite timere
Martius, ulterius non metuendus erit.

SAM. COSENS *Art. Mag. Coll. Exon. Soc.*

FErreus & duro ſilices in pectore geſtat,
Qui non occaſum condolet Anna tuum.
Attamen vna manus Charites non abſtulit omnes,
Et bona tam ſequitur quam bona prima fuit.

T. CARWARDINE *S.T.Bac. Æn.*

IUvat uſq; flere, & mollibus fari modis
Muliebre Carmen: nam quis & lacrymis pudor?
Cui non & omnem pectore excutiat virum
Ingentis obitus fœminæ! qualem neq;
Stans vidit Hecubam Troja; nec populus frequens
Latonæ ad aras, Conjuge ac prole integrâ

Nioben

Nioben ſuperbam. Licuit hanc noſtram quoq;
Præferre divis; licuit immunem vltimæ
Sperare ſortis; ſiquid obſtarent neci
Fœcunda Regum viſcera, aut ſceptro potens;
Triplici Maritus. Nunc quis inſanâ ampliùs
Spe ludat animum? Regii poſtquàm ſacer
Fons ſanguinis defecit, & triſti malo
Exeſa radix nobilis trunci perît!
Ubi turba eratis medica? nil veſtra ampliùs
Poterant venena? ſuccus herbarum nihil?
Quò balnearum ceſſerat notus calor?
Quò vena vivax ſulphuris? numquid ſui
Oblita, nec ſat priſtinæ dotis memor
Bathonia, inertes præbuit fallax aquas?
At illa vix dùm flumine ingratam ſacro
Pellebat hyemem, nec renaſcentes adhuc
Colligere vires potuit, aut anni vices
In ſe experiri: ſtupuit infelix palus
Nec ſcibat ægris priſtinum robur dare.
Quod licuit unum, ſulphur, & nitrum, & cavâ
Tellure ſucci quicquid arcani latet,
Coquebat intus; jamq; nunc ingens opus
Artis parabat, ſæpe tentatam priùs.
*Annæ* ſalutem: dictus eſt operi dies
Sub menſe * Veneris; illa Reginæ favens
Ut erat, benignam blanda pollicita eſt opem.
Verùm antè durus cædis, & belli pater
Quod cogitârat, nactus eſt, ſceleri, * diem;
Annamq; rapuit ——
At tu, prædator quondam, Gradive virorum
Fœmineâ nunc cæde potẽs: haud talia parvo

* *Itur Bathoniam deſinente menſe Aprili.*

* *Oct. ut initio Martii.*

Supplicio cõmiſſa lues. quin ſquallidus olim
Annua ſervabis fædo jejunia Menſe.
Nec ſævire in oves, pecorúmve armenta licebit,
Tantùm exercebis, minimo cum, ſanguine, poſthâc
Imbelles in piſce manus. Dabis otia Caſtris;
Nec niſi mentito armorum rumore ſonabis.
Quin licet ipſe fremas crebris Aquilonibus, atq;
Æolios imo mittas è carcere fratres,
Incaſſùm tamen uſq; fures; magnoq; tumultu
Pulveris exiguos ſufflabis in aera gyros:
Nec pluviam educes Cœlo, ſed ſemper inanes
Siccus ages nubes, vanoq; minabere vento.

Io. HARRIS *S. Theol. Bac. Nov. Coll. Soc.*

HEù decus dudum Anna Britanniarum.
Danica Phœnix oriunda glebâ
Poſt & Henrici grave funus, omni
Tempore flendi
Concidit; Regi quæ aderat Levamen
Vnicum, & ſolatiolum relictum
Carolo ſi quid gravius minentur
Fata, quod abſit.
Ecqua jam curis leuet à moleſtis
Pondere oppreſſum graviore regni,
Vel ſacris feſſum ſtudiis cor, ægros
Recreet artus?
Vna quæ vitæ comes, vna Conſors,
Regios quacum ſolitus labores
Speſq; partiri, & meditata dij
Pectoris alta,

Cuncta

Cuncta ſecurè in gremium refundens
Manibus nunc it comes Anna Divis.
Sit tamen luctû modus, Jpſe lætis
Teq; reſerva.
Macte Rex, nos ut merita ampla, vinxit
Sic tibi cœlum pietas, colentes
Sic tui nos, ut ſuperos faventes
Vſq; habiturus.
Nunc valetudo vetus ut reviſat,
Vere languentûm o Animarum Apollo
Chriſte, te votis precibuſq; adorans
Supplicat omnis
Inſula, adflictum miſerare Regem,
Regeq; adflictam miſerare gentem;
Ille Atlantëis humeris Britannum
Suſtinet orbem.

LAVR. HVMFREY *S.T.B. è Coll. Mag.*

CONſpicuum cum morte ſubit Medicina duellum:
Invitâ hâc, vitam ut proroget, *Anna*, tuam.
Mors tandem ſuperat: Nec mirum. Fata morari
Ars tua, phœbe, poteſt: vincere nulla poteſt.
Ergò jacet prope muta; foret quoqi ni dolor ipſam
Cogeret in tales mœſtus abire ſonos.

*Medicina.*

Anglia, reginam: genitricem, Carole: nuptam
Amiſti, at qualem, rex *Iacobe*? parem.
Jacturæ par ergo tuæ, Rex, nulla: nec ulla eſt,
Anglia, parvé tuæ: Carole, parvé tuæ.

Aſt ego ſi duras precibus lenire Sorores,
Aut ope ſi ſciſſem, tollere fata mea:
Vixiſſes natis, vixiſſes (*Anna*) marito,
Vixiſſes patriæ dulcis, ut illa tibi.
Nec teneros Regis violaret fletus, ocellos:
Anglia, neve tuos; *Carole*, neve tuos.

AND. BYRD *Medic. Doct.*

ERgò erit in Fatis ſemper miſcere Triumphis
Triſtia? ſpes Homini ſemper & Horror erit?
Numquid febricitat Mundus? num lucida ſẽper
Intervalla Diem ſunt habitura malum?
Non poterat noſtras veniſſe *Iäcobus* ad oras
Quin cedat fatis Eliſabetha ſuis?
Non poteras (*Frederice*) Thoros ſpiraſſe Jugales
Quin ſimul *Henricus* Gemma Britanna cadat?
Non poterit tentare ſuos Princeps Hymenæos
Quin priùs è vivis exeat *Anna Parens?*
Non poterant Muſæ, Reduci, dare Jubila, Regi,
Quin ſit opus Regi mittere mox Elegos?
Sempérne inſtabit Nox ſucceſſura Diei?
Nec fas, Lætitiæ perpetuare Diem?
Nec Brevis Illa Dies fuerit Lux Nubibus orba?
Nil nobis aptum, non γλυκύπικρον, erit?
Si ſic Fata jubent, ſi Mors actura Tyrannum,
Quin faveant Ducibus, Fataq; Morſq; Gregis.
Plebs numerus ſumus, & fruges conſumere nati;
Hìc creſcit Falci meſſis opima truci.
Mortua jacturã faciet Plebecula nullam:

Tota

Tota ſed, in ſolo Principe, Vita perit.
Dumq; Hæc pars Regis, Pars Cõjugis occidit *Annæ*,
Mortem Rex mediam ſemiſepultus habet.
Ferrea Mors! nil caſtus Amor? faciesq; ſerena?
Nil *Annæ* virtus centuplicata movet?
Nil Regis luctus? Lachrymæ nil Principis? & nil,
Quæ Plebs effundit, vota preceſq; movent?
Quin age Candida Mors: Certæ quia prævia vitæ.
Nos patimur: Nobis fas doluiſſe foret.
Relligio lachrymas cohibet; Dolor urget: at audi;
Qui ſumus afflicti non querimur, loquimur.
Oramus: Regi ſis Candida: Candida Proli:
Sic certa es Titulo Candidiore frui.

*De ſecundo die Menſis, quo Regina obiit.*

*Anna* (heu!) occubuit Die ſecundo
Menſis. ſed quis erit Dies ſecundus
Nobis gaudia noſtra non ſecundans?
Is Menſis foret, & Dies ſecundus,
Sortem qui tulerit ſecundiorem.

*De Ægritudine Regis.*

Flevimus Ægrotum; ſed non mirabimur Ægrum:
Ægrè qui Mortem pertulit (*Anna*) Tuam.

ED. LAPWORTH *è Coll. Magd. Med. D.*

Mobile ſic primum mota inferiora ſequũtur;
Luminib⁹ Mundi magnis ſic quęq; minora
Acceptã referunt lucem, vel lumine cæca;
Sic

Sic cum principibus quæ ſunt in corpore mẽbris
Omnia vel male ſunt, vel ſingula ſunt bene ſana.
Sic cum Principibus populi populus valet omnis;
Vel cum Principibus Regni pars quæq; laborat.
Principis ad faciem facies ſic omnibus una;
Triſtamur mœſtâ, lætamur fronte ſerenâ.
*Woodſtochiæ* reducem Te ſalvum Magne Iacobe
Reginam ſalvam, ſalvo cum Principe pulchro,
Quo fervore animi quàm læti vidimus omnes?
Magna cadit Regina; ſtatim Rex optimus æger:
Mutatur facies populoq; poloq; Britanno.
Manibus en elegi; manibus tunc oſcula veſtris,
*Anna* potens, & morte potens; dum vivis, amorem
Pertrahis vnanimem, concordem morte dolorem.
Eſtq; dolor juſtus, Princeps cùm juſta, benigna,
Multijugâ virtute nitens, nos *Anna* relinquit.
Longa ſed o longùm ſit firma relatio Magna;
Sis populi fidi longùm Rex, Optime Regum.

*Ad felicem Magnam Reginam* Annam.

*Anna*, tibi quantum debemus, Terra Britanna;
De regum ſerie, fælici traduce pacis:
Non liber hic, non hæc ætas, ſed multa loquentur
Sæcula, natorum nati, multiq; nepotes.

*Academia de Libro.*

Non mentes noſtras attingit curta papyrus;
Linguis, pectoribus Nobilis *Anna* manet.

TH. CLAYTON *Med. Doct. & Profeſſor Regius.*

Quòd

## *Annæ Funebria Sacra.*

*In Mensem Martium* Elizabethæ *&* Annæ *Reginarum sacratissimæ memoriæ, obitu infamem.*

MArti sere redi nostro infensissime Regno,
Perpetuum flendi munus Aprilis habe:
Vt quos fert Maius flores sint germina luctæ,
Quos beat Augustus, roret Aprilis agros.
Mensis ita in Mensem delæviat, Annus in imbres
Flebilis, atrata sorte, solutus eat:
Cœlorum facies hebes atq; obducta, doloris
Ingenio, aspectu Conveniente favet.

G. LAYD *S.T.D. Coll. Ioan. Præses.*

QUòd Soror *Anna* fuit, quòd Conjux, Nataq; Regis,
Singula momentis sunt trutinanda suis:
At quòd Chara Soror, pia Filia, Casta q; Conjux;
Hoc demum laudem commeruisse putem:
Cætera cuncta licèt tumulo condantur eodem,
Hoc certè ad superos usq; sequetur eam. *Apoc. 14. 13.*

FR. BRADSHAW *S.T.D. Coll. Mag.*

FUnere in hôc unô quotiès jugulata Poësis?
Carmina quot propriis sunt peritura rogis?
Scilicet ingenium quod non vel ἐρώμενον esse
Oprabit? quod non, te moriente, mori?
Aut nullum, aut impunè malum licet esse Poëtam,
Vnica cum nimius sit tibi Musa stupor.
Parcite tam multis ergò indulgere lituris;
Apta magis tristi est *Vna litura* libro.

BRIANVS DVPPA *Procurator è Coll. Omn. Anim.*

Qui Te, Reginam, Prolem, Procereſq; voraret;
Cùm tot congeſtos per ſæcula plura labores,
Tot monumenta Patrũ, documentáq; tanta Nepotũ,
Templa dicata Deo, & Regum veneranda Sepulchra,
Uno ictũ hauſiſſet lux infeſtiſſima *Martis*.
*Iupiter* excubias egit, tenebroſa recluſit
Antra, & Tartareæ confregit Retia gentis.
*Mars* furit, atq; artes exercet mille nocendi;
Jamq, parat cladem poſtremã, [f] quâ Tibi Sponſam,
Quâ Thalami ſociam, quâ vitæ Gaudia carpſit.
Jamq; triumphat ovans, Reginæ in funere gaudet:
Vt nec ne non perimat, ſaltem Te vulnerat, *Annæ*.
Nõ ſatis eſt *Marti*: In Te, Te (Rex) [g] nuper acuto
Occœpit morbo ſævire; ad limina Mortis
Cùm Tua duxiſſent mox fila ſecanda *Sorores*.
Non ſic eſt viſum Superis: Tibi *Marte* fremente
Vita data eſt, nobis ſic reddita Vita, Saluſq;.
Quæ ratio, ex ſeptem ſolus cur (more Planetæ)
A Te, dum reliqui aſſiſtunt, *Mars* horridus *erret*?
Tu *Martem* odiſti, *Mars* odit Pacis amantem:
Hinc tantæ clades, hinc tot conamina *Martis*.
Tu tamen interea Pacem (Rex optime) ſerva,
Tu populos placato animis componito lites;
Per mare, per terras, felices mittito Olivas;
Templaq; *Biſrontis* nunquam patiare recludi;
Spicula nec timeas vel ſæpè minantia *Martis*.
Scilicet è cœlis Numen Te majus obumbrat
*Marte* ipſo: *Dominum Zebaoth* dixere Prophetæ,
*Abrâmi Dominum*, *Iſâci*, *Dominumq; Iacobi*.
Ille *Iovis* ſimul inſtar erit, *Lunæ*, *Veneriſq;*,

[f] 20 *Martii* 1618 *die Martis.*

[g] 23 *Martii* 1618. *die Martis.*

Ille

Ille erit *Hermetis*, *Saturni*, & *Apollinis* inſtar;
Omnium hic inſtar erit, quos vana *Deoſq; Deaſq;*
Turba Poëtarum cultú eſt dignata prophano.
Si quid noſtra valent (nec erunt fruſtranea) vota,
Ille Deus longùm morbo ſervabit ab omni
Incolumem, ſemperq; à *Marte* tuebitur *hoſte*.

Ille Deus, ſummè qui gaudet nomine Pacis,
Det Pacem, Sobolem ſervet, Tibi proroget ævum.

*Maieſtatis veſtræ*

humillimus & devotiſſimus

Servus,

GVILIELMVS GOODWIN,
*Academiæ Oxonienſis Procancellarius.*

XUM